

PRAIRIE

LIBRARY

COLLEGE

LIBRARY

COLLEGE

LIBRARY

COLLEGE

LIBRARY

COLLEGE

LIBRARY

A  
47  
49



BIBLIOTECA HOSPITAL GRAM	
Sala:	A
Estante:	047
Folio:	049



7400 40 Safia  
MADE IN SPAIN

C-I-12

~~15~~  
1 - H

A-615.11 CHAR

G-6-30,1


BIBLIOTECA HOSPITAL L	
GRATUITA	
Sala:	A
Estante:	047
Mesón:	049

C-I-12


~~15~~  
1 - H

A-615.11 CHAR


G-4-301



NOVA  
EXPERIMENTA  
CIRCA  
VIPERAM  
FACTA,  
*a*  
MOSECHARAS




Cucurbita  
Angusti Colle



Recipiens

GENEVÆ  
Sumpt. Joan. Ludor. Du Four.



(2)

# MOSIS CHARAS

MEDICINÆ DOCTORIS

& Regiæ Majestatis Anglicæ Medici-Chymici,

## O P E R U M

TOMUS TERTIUS,

*Continens*

HISTORIAM NATURALEM

ANIMALIUM, PLANTARUM ET MINERALIUM,

THERIACÆ ANDROMACHI

COMPOSITIONEM INGREDIENTIUM;

C U M

EXPERIMENTIS CIRCA VIPERAM,

A D D I T A


SERIE NOVORUM EXPERIMENTORUM.



G E N E V Æ ,

Sumptibus JOANNIS LUDOVICI DU-FOUR

M. D. C. L X X X I V





INDEX CAPITUM TRACTATUS

# DE THERIACA ANDROMACHI.

CAP.I. De Theriaces Vilitate.	pag. 5.	XXXIX. De Pentaphyllo.	68
II. De Origine Nominis Theriaces.	8	XL. De Polio Montano.	ib.
III. De Idonea Theriacam componendi anni tempestate.	ib.	XLI. De Chamapyyi.	69
IV. Theriaces Descriptio.	13	XLII. De Siorace Calanita.	70
V. De Scylla.	14	XLIII. De Meu Athanantico.	71
VI. De Trochiscis Viperinis.	15	XLIV. De Amomo.	72
VII. De Trochiscis Hedychrois.	25	XLV. De Acoro Vero.	73
VIII. De Maro.	26	XLVI. De Nardo Celta.	74
IX. De Amaraco.	27	XLVII. De Terra Lemnia.	75
X. De Asaro.	28	XLVIII. De Phuseu Valeriana Magna.	77
XI. De Asphalto.	30	XLIX. De Chamaedry.	78
XII. De Mastiche.	ib.	L. De Folio Indo.	79
XIII. De Pipere Longe.	31	LI. De Chalcide.	80
XIV. De Opio.	32	LII. De Gentiana.	82
XV. De Rosis.	38	LIII. De Aniso.	82
XVI. De Iride.	39	LIV. De Faniculo.	83
XVII. De Succo Liguiristis.	40	LV. De Hypocystide.	84
XVIII. De Buniade.	42	LVI. De Gummi Arabico.	85
XIX. De Scordio.	ib.	LVII. De Cardamomo Minore.	86
XX. De Xylobalsamo, de Carpob. & Opob.	43	LVIII. De Seseli Massilienſi.	87
XXI. De Cinnamomo.	47	LIX. De Acacia vera.	88
XXII. De Agarico.	49	LX. De Tulaspi.	89
XXIII. De Myrtha.	50	LXI. De Hyperico.	90
XXIV. De Coffo.	52	LXII. De Ammi.	ib.
XXV. De Croco.	53	LXIII. De Sagapeno.	91
XXVI. De Cassia Lignea.	54	LXIV. De Aristolochia minor seu Tenui.	92
XXVII. De Spica Nardi.	55	LXV. De Danco Cretensi.	94
XXVIII. De Scoenantho.	57	LXVI. De Bitumine Iudaico.	ib.
XXIX. De Thure Masculo, sive Olibano.	58	LXVII. De Opopanax.	95
XXX. De Pipere Albo & Nigro.	59	LXVIII. De Centaurio minore.	96
XXXI. De Diellamo Cretensi.	61	LXIX. De Albano.	96
XXXII. De Praffo albo.	62	LXX. De Castore seu Fibro.	97
XXXIII. De Rhapontico.	ib.	LXXI. De Melle.	101
XXXIV. De Stoëchade Arabica.	64	LXXII. De Vino.	105
XXXV. De Petroselino Macedonico.	65	LXXIII. De Ultima Preparat. cunctorum Theriaces ingredientium, Eorundem mixtione, ac in Opia. formam deduct.	107
XXXVI. De Galarentho Montano.	ib.	LXXIV. De Etatibus Theriacæ, & Tem- pore quo in usum venire potest.	114
XXXVII. De Terebinthina Chia.	66		
XXXVIII. De Zinzibere.	67		

## INDEX CAPITUM TRACTATUS DE VIPERA.

CAP.I. Observat. Generales de Vipera.	125	primo in consuetum venientibus.	128
II. Sectio I. Descriptio Vipera, De Partibus		Sectio II. De Pelle Vipera.	129

# Index Capitum.

<b>CAP. III. De Partibus Capitis Viperae.</b>	<b>Sectio I. De Lingua Viperae.</b>	141
<b>Sectio I. De Rastro &amp; Naribus.</b>	<b>II. De Trachea Ateria &amp; de Pulmonib.</b>	142
<b>II. De Cranio.</b>	<b>III. De Corde &amp; Iecore.</b>	ib.
<b>III. De Cerebro.</b>	<b>IV. De Felle, de Pancreate, quod Antiqui Splenis nomine donavere.</b>	144
<b>IV. De Oculis ac precipuis Partibus ad eos pertinentibus, &amp; de iis que Auditus sub- serviant.</b>	<b>V. De Oesophago &amp; Ventriculo.</b>	ib.
<b>V. De Ossibus Capit. Cranio de articulat.</b>	<b>VI. De Intestinis, Rebus, &amp; Pinguedine, ac Tunica iuxta serius sita, illas partes anic.</b>	145
<b>VI. De Dentibus.</b>	<b>CAP. VI. De Partibus Viperae Generationi- dicatis.</b>	
<b>VII. De Nervis, Venis, Arteriis, ac Muscu- lis Capitis in genere.</b>	<b>Sect. I. De Partibus Generationis in Ma- re.</b>	146
<b>VIII. De Glandulis Salivarib. in Vipera.</b>	<b>II. De Vipera &amp; Fæmine partib. Generat.</b>	148
<b>CAP. IV. De Ceteris Viperae Ossibus, ac partibus precipuis inde deductis.</b>	<b>III. De Generatione &amp; nativitate Viperino- rum Fætuum.</b>	150
<b>CAP. V. De Partibus Viperae interioribus.</b>		

## EXPERIMENTA CIRCA VIPERAM FACTA.

<b>CAP. I. Morsus Homini à Vipera inflictus.</b>	<b>CAP. IV. De Venenij à Vipera Morsus inflicti inole, Ejusque efficacia.</b>	168
<b>CAP. II. Experimenta Morsus Viperae in diversis animalibus tentata.</b>	<b>V. Experimenta de Succo Flavo, in Vesicu- lis Majorum De nitum Contento, in Variis Animalibus suscepia.</b>	172
<b>Experimenta in Canibus facta.</b>	<b>VI. Experimenta circa Fel, Ova, Imestina, Capita &amp; Sanguinem Vipera suscepta, in diversis animalibus.</b>	174
<b>Experimentum aliud in Cane, demorso à Vipera in Aste.</b>	<b>VII. Plurima alia Experimenta Curiosa de Vipera facta.</b>	174
<b>Aliud Demorsus Canis Exemplum.</b>	<b>VIII. Animadversiones Generales cir- ca ea que per Experienciam à nobis deprehensa sunt.</b>	179
<b>Exemplum Catuli à Vipera ita &amp; occi- si.</b>		
<b>Aliud Canis Morsu imperiti Exemplum.</b>		
<b>Exemplum Canis cui Lingua demorsa.</b>		
<b>Experimenta Morsus Viperarum in Colum- bis &amp; Gallinis facta.</b>		

## REMEDIA E VIPERA DESUMPTA.

<b>CAP. I. De Vario delectu partium Corporis Viperae.</b>	<b>benefficio separabilibus.</b>	240
<b>II. De usu Partium Viperae, sive in alimen- tum venire debeant, sive Medicamen- tum.</b>	<b>VII. De Fixatione Salis Volatilis Viperi- ni.</b>	245
<b>III. De Viribus plurimarum partium Vipe- rae, Necnon de usu illarum Medico.</b>	<b>VIII. De Viribus Salis Volatilis Viperini, &amp; utilitate ceterarum Partium, Ope distil- lationis abstractarum.</b>	249
<b>IV. De Pulvere &amp; Trochis Viperinis.</b>	<b>IX. De Ratione in usum ducendi Sal Volati- tile Viperinum.</b>	254
<b>V. De Sale Viperino Antiquorum.</b>	<b>X. Varia Remedia, aut Compositio- nes quibus Sal Volatile basin pre- bet.</b>	256
<b>VI. De Sale Volatili Viperae, De Ejusdem Sale Fixo, ac alijs partibus distillationis</b>		

P R A E-



# PRÆLOQUIUM.

**I**S P E N S A T I O Theriacæ Andromachi, à me inchoante præsenti anno suscepta, totis tribus & amplius septimanis oculis & censuræ publicæ exposita, cum plurimos & Medicos & Pharmacopœos, nec paucos curiosos & eruditos convocaverit, ac præterea variis conventionibus & dissertationibus circa ea quæ in dicta dispensatione maximi erant momenti ansam præbuerit, imo & nonnullis controversiis cum aliquibus Collegis excitatis, priscorum traditionibus plus nimio addictis, Circumstantiarum harum concursus ut manum calamo admovearem sensim me impulit, traditurum rationes propter quas celebris hujus Antidotæ præparationis generalis & particularis aliqualem emendationem aggressus sum; per septem aut̄ octo secula omnino illibatae & intactæ.

Neque tamen is sum qui in præparatione hujus Theriacæ errores contingere solitos me primum omnium animadvertisse gloriari ausim; Eruditus enim & experientissimus *Zuelerus* nævos in ea manifestos prior deprehendit, adeoque solidis rationibus sententiam suam stabilivit ut nemo hiscere audeat, hinc ut illum ducem nonnulli Pharmacopœi jam sequantur in dispensationibus.

Me quod attinet, monitum ejus non modo me auscultasse profiteor, sed nulla non die ut aliquid à me accedat eniti, argumentorum robore id suffulciens, & antiquis & recentibus etiam adductis experimentis; quæ sedulus & perpetuus artis Pharmaceuticæ cultus peperit, à triginta enim & pluribus annis me totum illi addixi.

Nec me latet nonnullos Medicos, imo & Pharmacopœos, rariora quædam & luce digna publici juris fecisse, in iis præsertim quæ

## PRÆLOQUIUM.

medicamentorum Theriacam nostram ingredientium electionem spe-  
tant: At mihi eandem quam illis concessam opto veniam, enim scili-  
cet sensa exponendi, ac in propriam gratiam aliena dimissa calamum  
adsumendi.

Illorum imitator esse nolui, qui de Theriaca tractatus meditati, ni-  
hil aliud pensi habuere quam ut verbo tenuis *Dioscoridis*, *Matthioli*, *Pli-  
ni*, *Theophrasti*, *Galeni*, & aliorum textum exscriberent, capita integra  
ex iis componentes, ex proprio vero Marte nihil adponentes, propria,  
ubique epicrisi omessa, Quid discriminis inter me & illos quoad  
procedendi rationem intersit cuivis manifestum fiet, quod aliena  
paucissima afferam, nequaquam retexens quæ ubivis sunt obvia,  
mentem solummodo meam exponere satagens, unicuique libertate  
concessa huic vel illi sententiæ, quæ rationi maxime consona videtur,  
adhærendi.

Nonnulla tamen ex aliis necessitate compellente repetenda sunt,  
cum enim medicamenta simplicia primævam retinent naturam, &  
qualem in mundi primordiis concessa est, propriamque signaturam ser-  
vaverint, hæc aliorum ductum sequutus enumerare potui, cum nativo  
charactere designavere: neque enim verborum unquam tenax fui, ve-  
ritatem quoties se mihi exhibuit semper amplexatus, qua impellente,  
non semel ab authorum plerorumque sententia discedere necesse  
habui.

Cæterum nonnulli forte existimaverint ob nonnullos Latinos ver-  
sus, horis succisivis à me exaratos, præcipuas notas unicujusque medi-  
camenti Theriacam ingredientis exhibentes, ideo me integrum Tra-  
ctatum Latina lingua conscriptum offerre debuisse; at cum mihi  
perspectum sit non omnibus Pharmacopœis familiarem illam esse,  
quorum præsertim in gratiam hæc conscribo, æquum esse credidi  
ut vernacula lingua conscriberem, quo melius innotescerent  
quæ Latinorum carminum limitibus circumscripta exhibere non po-  
teram.

Animus ergo est tum Latinis carminibus, tum prosa Gallica, trade-  
re non modo optimas & maxime sinceras cujusque medicamenti no-  
tas, sed etiam legitimam & singularem cujusque præparationem, quam  
qui de Theriaca ante me scripsere levi pede præterierunt: Neque enim  
unicuique Pharmacopœo satis est peritia electionis uniuscujsque me-  
dicamenti, sed & præterea singularis præparandi rationis cognitio ne-  
cessaria est, antequam dispensationi se accingat: Appositissime qui-  
dam Medicus, nemini unquam Theriacæ suspiciendam esse composi-  
tionem,

tionem, nisi iteratis illius præparationibus, ab artis peritis susceptis adfuerit, & medicamentorum omnium illam subingredientium accuratam tenuerit cognitionem.

Hoc vero sincere affero, me tyronem adhuc adjutrices manus Theriaces dispensationi attulisse Magistro sub quo artis fundamenta posui, ab ipso feliciter & susceptæ & perfectæ: Plurimis itidem præparati-  
nibus dum Galliam peragrarem, præsertim Massiliæ, Monspeſſuli &  
Lugduni adſtitifſe, atque etiam manum, præuentibus artis peritissi-  
mis, admovisse, Artis magisterium postmodum Arauſioni adeptus, bis  
in omnium conſpectu Theriacam dispensavi, ſemel autem Mithridati-  
cam Antidotum, nec ſine applauſu, adeo ut dispensatio Lutetiæ Pari-  
ſiorum à me publice ſuscepta novitatis ſuſpecta eſſe non de-  
beat.

Id porro compertum eſſe velim, poſtrema hac occaſione non mi-  
nuſ mihi curæ fuiffe ut medicamenta & ſincera & probæ notæ occur-  
rerent quam ut accurata illorum præparatio accederet; Sumptibus  
nequaquam perpercifſe, accuratoque ſemper studio indagafſe quic-  
quid ars maxime perfeſtum offerre potest quo reſ ex voto ſucce-  
deret.

Id vero aperte proſiteor mihi, præeunte qualicunque Chymia cogni-  
tione, patefactos plurimos errores in hac præparatione committi ſoli-  
tos; quorum cum omnino neceſſaria eſſet emendatio, hanc Pharma-  
copœiſ innotescere debere credidi, quibus cum meliora obvia non  
forent, officio ſe ſatisfacturos rati ſunt ſi à norma ab authoribus tradita  
nequaquam deflecterent; *Præſtat ſero quam nunquam ſapere;* Vastus eſt  
materiæ Pharmaceuticæ campus, in quo exſpatiari unicuique licet, ac  
reſ novas detegere: Cum vero nulla non die ingeniis acumen acce-  
dat, id apud mē ratum cum priorum ſcripta ad posteriores deriven-  
tur, hos emolumentum ex illis capturos, atque hac parte ſuperiores  
futuros, nec hac in re ſolum ſed & quavis in ſcientia, non fecus ac in  
omni arte, imo vilillima mechanica, *Facile enim eſt inveniſſis addere.*

Neque tamen ideo Collegis meis anteferri ambio, honorem illis  
debitum defero, ac dociles illis aures præbere nunquam non ero para-  
tus; quod plurima illis perspecta eſſe ſciam quæ me latent, *Non omnia  
poſſumus omnes,* Sin communicandi animus omnibus æque inefſet, pro-  
culdubio & peritia major cuivis accederet, imo & ſcientia, ac libera-  
liori animo erga tyrones ferremur quo experimentorum noſtrorum  
fructus in illos derivarentur: Eo pacto ſublevaremus Medicos labore di-

scendi artem ipsis inferiorem , neque illi distraherentur ab officiis & gravioribus ac magis arduis curis quæ ars Medica ab illis exigit , nobis ostensuris res quas ad praxin deducere non valuerunt , quippe quæ illos dedecent ; nec demonstrari queunt nitide præterquam ab iis qui totam vitam in illorum exercitio trivere.

At vero ut hic Tractatus eo animo quo illum offero excipiatur cupio , ut sic ulterius impellar ad manum ultimam admoyendam Operi operiori , quod luci dare propediem spero .

*Finis Prae loqui j.*





# THERIACA ANDROMACHI.

## CAPUT PRIMUM.

### DE THERIACES UTILITATE.

*Θηρια portans Opiata nomen  
Regibus quondam celebrata nescit  
quicquid oppugnet, sibi comparatam  
Perdere famam.*



U I B U S experientia comperti sunt egregii effectus à Theriaca prodire soliti, etiam juxta priscam normam præparata, illi non admodum mirabundi erunt antiquos Romanorum Imperatores non minus fere sategisse ritæ illius præparationis quam proprii Imperii regiminis; liberéque ac liberaliter ipsos quoscumque sumptus tulisse, ut ex dissitissimis etiam mundi cardinibus quotquot medicamenta Medici designaverant accerserent, quo præstantissimum medicamentum perfectionem adipisceretur: Neque etiam in admirationem pertrahentur, quod plurimi Reges & Principes, Illorum succedanei, hac in re imitatores fuerint; Dictamque Antidotum à tot retro saculis celebritate nominis adhuc gaudere, etiamsi sexcentæ excitatae sint controversiae ex temporum intervallis, & adhuc quotidie exoriantur.

Qui vero ad experientiam nunquam provocaverunt, iis statim ad medicamentorum adeo stupendam seriem excandescunt, plerumque qualitatibus, viribusque discrepantium; neque animo concipere queunt quomodo ad unicam compositionem non modo animalia & mineralia concurrant, sed etiam quævis plantarum partes, ut exinde exurgat mistura Chaos potius referens quam rite constitutum corpus; etiam si nemini ignotū sit quicquid in mundo elegans occurrit ex primævo & antiquo Chaos eductum fuisse; imo in unoquoque mixto Chaos

quandam speciem dari, quandoquidem ex quatuor Elementis conflata sunt mixta, quorum singulis qualitates inexistunt contrariae, sibique invicem plane repugnantes, quamvis concedant necesse est ex hac medicaminum tumultuaria congestione facultatem omnino sublimem & extraordinariam exsurgere, quam in nullo ingredientium ante mutuam confusionem reperire est.

Cum porro mearum non sit partium formulas medicamentorum construere, nedum emendationem illarum suscipere, Doctoribus controversiarum ejusmodi compositionem concedo, satisque mihi fuerit si tempore & loco excusus suscipiam, & ad examen adducat electionem, præparationem & mixtionem omnium medicaminum, Theriaces compositionem subeuntium; publici juris facturus quicquid singulare hactenus mihi occurrit quoad hanc materiam, arti quam profiteor omnino peculiarem.

Hoc tamen asserere non erubescam, plurimos eorum qui in Theriacam insurgunt cortice tenus illam attigisse; penitus vero scrutari & intime cognoscere nequaquam curæ fuisse: Id vero apud me ratum si omnes Pharmacopœi qui illius compositionem suscipiunt, exhibito studio sincera tantum & probata admitterent medicamenta; dispensatio autem, præparatio & mistio coram Medicis & Pharmacopeis insuper perficeretur, succedanea vero quævis plane respuerent, futurum ut hæc compositio adprobationem majorem mereretur: Medicis porro cum non desint occasionses exactam notitiam consequendi, ac ad accuratum examen deducendi ingredientia Theriacam medicamenta, præconceptum forte illius odium in desiderium facultates rite cognoscendi commutatum iri.

Ut vero à Theriaces partibus stem, quas tueri ex officio debeo, etiam si illius adversariis concederim in illam Metamorphoseos versus quadrare.

*Frigida pugnabant calidis, humentia siccis,*

Ipsique non inique nomen confusionis medicaminum, qualitatibus admodum discrepantium adsignati posse; Ultero etiam admiserim ex multo minori ingredientium numero concinnari posse remedium non minus illa efficax, Id adstruo, donec prodeat quiddam illa præstantius, aut saltem non inferius, Theriaca autem vulgata minorem in præparando molestiam exhibens, nequaquam abdicandum esse remedii usum, quod ad artis leges, & accurata diligentia præparatum, stupendos depromit effectus, experientia multiplici fidem faciente: Quousque vero alter exurgat Galenus, qui reformationem auctore suo dignam suscipiat,

cipiat, mē judice coīmodissime & utilissime produci posse illius usum, iteratique compositionem, spe fretos ut tempore & loco centum libras Theriacē à me recens præparatæ expeditam venditionem, in plurimorum commodum obtineam.

His addo, si Pharmacopoei neque sumptibus neque labori pepercrint, posse hos compositionem magis completam aggredi quam quæ olim usitata fuit, quandoquidem abstinere licet à quibusvis fere succedancis, ab auctoribus multo studio conquisitis.

Id vero notum esse yolo, si accurata electione facta omnium ingredientium, diligentia in expurgatione illorum adhibita fuerit, ut nulli quicquam de propria bonitate decedat, detractis superfluis aut inutilibus partibus, Compositionem efficaciam multo majorem consequuturam, multoque commendabiliorem fore:

Sed præterea assero publicam hanc Dispensationem in Pharmaceuticæ rei beneficium cessuram, procul enim dubio qui illi totum se ad dixerit, eo pacto singularem notitiam, & perfectam præcipuorum medicamentorum, Officinam Pharmaceuticam subeuntium, adepturus est: Præparationem autem, & miscendi rationem cum rite caluerit, futurum ut minori negotio, & expeditius plurimas compositiones ejusmodi sortis perfecturus sit: Demum medicamenta accurate electa, à superfluis liberata, ritèque dispensata tapetem quasi, aut hortum coronarium colorum, odorum & figurarum diversitate amoenum, etiam illis qui artem non profitentur, exhibent; atque animis præstantiæ Theriacæ opinionem non solum præbent, sed & præconceptam excutiunt illis qui censem quæcunque remedia ad usus adhibent Pharmacopœi ab illorum hortis suppeditari.

Interim, obnixe rogo priscorum traditionibus plus æquo addictos, ne flocci faciant novas quasdam & insolitas præparations in hujus Tractatus serie obvias futuras, atque ad stateram rationes meas ex pendant priusquam ejerent: Medicos vero etiam atque etiam obsecro ne vitio mihi vertant, quod concessi mihi ab arte Pharmaceutica jure circa Electionem, Præparationem & Mixtionem medicamentorum utar, nunquam alias adgressus vel medicamentum unum alteri supponere, vel præscriptas dozes immutare. Faciant vero mihi iidem potestatem alia ratione nonnulla præparandi, potiore proculdubio illa quæ ab antiquis observata fuit: Ostensurum enim me spero corrupta fuisse plurima Theriacæ medicamenta, quæ idonee præparata crediderunt: Cum vice versa detracta (id quod præstiturus sum) improba & inutili parte, futurum ut cunctæ medicamentorum partes efficaces & utiles, quarum præparationem suscepturnus sum, sartæ testæ maneat:

Spe fretus ut omnes Pharmacopœi, quorum mentem opiniones non occupaverint, mei sint imitatores, nedum me impugnaturi in rebus omnino manifestis, quas iniqua improbaverint.

## CAPUT II.

## DE ORIGINE NOMINIS THERIACES.

*Viperæ vera species ferarum  
dum perit priscus Mithridatis usus  
voce sub Græca quod opus paramus  
nomine signant.*

**A**ntiqui olim Theriaces nomen pluribus indiderunt Compositiōnibus, à rite exploratis quibus in expugnandis venenis pollēbant facultatibus; adeo ut Theriacæ voce donaverint compositum quoddam ex quatuor medicaminibus, imo & unicum simplex, Allium enim Theriacam rusticorum vocavere; Exinde manifestum fiet, vires quas obtinet Theriaca expugnandi, & quodvis veneni genus domandi, id nominis verisimiliter illi impertiisse.

Nonnulli verborum aucupes nomen deduxerunt à verbo Ἀνφίσιον, quod feram designat, & bestiam indomitam; Innuere volentes Theriacam non solum idoneam esse superando cuivis animalium ἱόθελων veneno, sed etiam adversus infinitos morbos valere, quos feris animalibus similes faciunt.

Quidam existimarunt Andromachum, Mithridatij nomine dimisso; Theriacæ vocabulum imposuisse à Viperis quibus Ἀνφίσιον nomen indidit, quas addidit basin constituturus præcipuam istius Compositiōnis, Nec à vero simili abludere hi mihi videntur, quandoquidem id nominis sibi vindicavit ab eo demum tempore quo caro Viperina Compositiōnem hanc subiit.

## CAPUT III.

DE IDONEA THERIACAM COMPONENDI  
anni tempestate.

*Pharmacum præstans prius omne quare  
Et modo quo te docet ars parato*

Com-

*commodo tandem tibi quæ parasti  
tempore misce.*

**I**N diversa abeunt plerique authores quoad tempus idoneum confi-  
ciendæ Theriacæ: Utrisque probabilia adsunt argumenta in senten-  
tiæ comprobationem: Ex mea autem, omnes alicui innituntur funda-  
mento, nec enim una eademque tempestas ei scopo commoda est, sed  
plures eligendæ, impossibile quippe est adeo insignem Medicamento-  
rum congeriem uno eodemque tempore sibi comparare, quorum non-  
nulla quidem semper occurunt, alia vero certa tantum tempestate:  
Atque e re erit declinasse quod forte futurum est, ut scilicet dum con-  
quirere studies omnia medicamina, si initium ductum fuerit ab iis quæ  
tenuissima donata sunt substantia, cujusmodi sunt folia & flores, ea-  
dem vero si diutius adservata sint, quod idoneo tempore stu-  
dium non adfuerit in conquirendis Medicamentis quæ diutius vires  
suas inoffensas retinent, fortassis, inquam, eveniet ut Theriaca non iis  
prædicta sit viribus quæ illi adsignantur, nec sane in illa desiderarentur si  
unum quodque medicamentum suis viribus integris pollens admissum  
esset: Præcautio ergo adhibenda est, idoneaque tempestate & loco col-  
ligenda, exsiccanda ac recondenda cuncta ingredientia medicamina;  
Eadem vero præparata cum fuerint, tum demum dispensationi se ac-  
cingere debet Pharmacopœus priusquam his vel illis quidquam detri-  
menti accidat.

Inter tempestates autem ami Æstas omnium minime com-  
moda est, sed maxime iniqua est, meo iudicio, perficiendo insigni isti  
operi; nam præterquam quod vix possibile est ante festum omnium  
Sanctorum cunctas plantarum necessiarum partes obtinere; ad com-  
positionem vero admissis iis quæ anno proxime præterito collecta sunt,  
non potest non compositio manca esse & in vitio: In intenso æstu me-  
dicamenta si pistillo subjiciantur, non minimam proculdubio & in vi-  
ribus & in pondere cladem patiuntur: iterataque agitatio, ad Solis ra-  
dios suscepta, sicuti præcipiunt qui in ea sunt sententia, in pejorem si-  
ne dubio conditionem opus deductum est: Ex eorum mente à solis Solis  
æstivi radiis expectandæ est fermentatio in Theriaca requisita; Iidem  
vero minime perpendunt ab Hypocystidis, Chalcitidis, & Acaciæ aci-  
ditate massam illam insignem commoveri, ac dum fermenti vices præ-  
bent, quovis tempore fermentationem promovere, nullo alia acce-  
dente auxilio quam caloris innati singulorum medicamentorum, &  
conjunctionis eorundem ac cohæsionis, ab addito melle contingentis,  
ad consistentiam cocto.

Neque tamen in partes venire abnuo ambiens calidum , dummodo intra mediocritatem consistat calor , locusque opportunus occurrat : At vero satius duxero omnino exclusisse calorem externum quam vehementiorem admisisse, à quo partes, quas adhibito studio tueri debemus, dissipentur.

Eapropter vero scire interest à justo intensiore calore externo partes maxime volatiles in auras abire , imo exsiccati totam compaginem non excitata fermentatione, si acida commodam sedem non obtinuerint ; Ea quippe cum intra se contineant genuinum semen spirituum fermentativorum , ab iis excitari potest & perfici fermentatio, etiam non præsente calore externo ; ac revera nullum alium præterea in subsidium advocant præter eum qui ab iismet excitatus fuit in tota compaginis massa : Eorum vero actio cum ab interno principio pendeat, & omnino sit naturalis , ideo fit ut vires ingredientium simulcoeant , ac nequaquam dissipentur , unde exsurgit facultas multo perfectior ea quam obtinebant singula ingredientia ante fermentationem.

Horum porro spirituum fermentativorum actio adeo valida est , ut nisi Theriaca reconderetur vase cujus non tertia pars , aut ad summum quartam, vacaret , à turgente vi fermentationis compositione, proculdubio id dissiliret si accurate esset occlusum ; vel exundaret Theriaca, orasque excederet & rumperetur si illac exitum affectaret ; Vacuum autem, quod authores necessarium credidere , eum in finem præscriptum est ut spatium in vase commodum nanciserentur spiritus illi fermentativi , ac libere efficacem suam vim explicarent ; non vero advocandi gratia aëris externi , qui patientis solummodo vices obtinet, actionem autem acidorum fermentativam solum experitur, illis cedendo.

Rem vero ita se habere indicio est , quod cum compositio in vase à fermentatione in tumorem attollitur , si spathula lignea leniter commota fuerit, vel alio quopiam idoneo instrumento , statim illa subsidet, ac pristino statui restituitur, illi nempe quem ante fermentationem obtinuit ; eo quippe pacto spiritus turgentes exitum natii sunt : Sin aër ambiens vim propriam exserere deberet , cum agitatio fores illi recludat, contrarius plane effectus expectandus esset.

Etiam si vero dum procedit fermentatio, compositio nihilominus sibi iterum intumescit , ab exitu nonnihil concesso spiritibus commotis & commoventibus , aër tamen ambiens patientis tantum vices obtinet , solaque actio adscribenda spiritibus fermentativis ab acidis genitis : fermentatio autem ulterius progreditur , tamdiu producta quamdiu nova sit istiusmodi spirituum generatio ; quam definere observare

servare est à quo tempore nulli amplius regenerantur; neque à quopiam aëre ambiente productio illorum cietur, sicubi semen id fermentandi vi præditum absumptum fuerit: Id quod quam tardissime intra semestre contingit, si compositioni requisita consistentia conciliata fuerit, etiamsi, ex quorundam authorum sententia, ultimus fermentationis terminus spatio demum duodecim annorum absolvatur: Id vero quod mente concipiunt omnino diversum est à fermentatione modo à me memorata; quam acida excitavere, nihilque aliud est quam intima conjunctio, ac propemodum imperceptibilis arcanarum virium omnium ingredientium.

Quoad illorum opinionem, qui credidere fermentationem Syruporum, aliarumve compositionum, sub liquorum censu venientium, quotannis sponte excitari, eo ipso tempore quo anno proxime præterito fermentationem experta erant, libere dicendum Pharmacopoeorum officinis illos rarius interfuisse, in quibus nihil simile observandum occurrit; nec probe iis probe perspectam fuisse legitimam fermentationum causam: Experientia quidem constat Electuarium liquidum, legitimam coctionem non adeptum, sponte turgere & sæpe in fervorem agi, æstate præsertim; accedens enim calor humori supervacaneo acidum ibi generat, à quo ista turgescens aut fermentatio inducitur: At vero si in Electuario nihil acidum adfuerit, consistentiamque id idoneam nactum sit, nulla omnino expectanda est fermentatio.

Eadem Syruporum erit ratio si coctionem convenientem experti fuerint, ac vasis terfissimis & madoris omnino expertibus reconditi sint, expectataque fuerit absoluta refrigeratio antequam illis committantur, accurateque cooperiantur, ac loco temperato collocata fuerint, à solo quippe humore exundante, cooperante calore, gignuntur acida, ac in ebullitionem aguntur composita medicamenta.

Sin Syrum requisitæ consistentiæ Solis radiis objeceris, aut igni admotus is si fuerit, in tumorem postea agatur & favorem, fermentationem tunc in epte dixeris, cum id spirituum ignis efficaciæ adscribendum sit, qui corpora ista liquida & porosa subeentes, horum meatus diducunt & expandunt, illaque in turgescientiam plus aut minus adducunt pro majori aut minori ignis spirituum *spiritum*.

Ulterius sensim proveherer, pluraque adducturus essem argumenta, nisi limites mihi præscriptos forte transgredi metuerem, atque à me adducta satis futura crederem ad promovendam cognitionem fermentationis Theriacæ: Sufficiat adduxisse tempus isti præparationi maxime idoneum id esse quo simul congerere licet quam recentissima singula simplicia quæ tentissima donata sint substantia, ac proinde in fa-

cillimam dissipationem prona sunt : Et multo satius esse hanc normam tenere quam herbas & flores ad annum subsequentem adservare; quandoquidem facillimum est Theriacem in hypocusto , vel loco quopiam calido continere , quo spiritus libere turgere queant , et si nulla ad id compellat necessitas , sicuti à me ante demonstratum est.

Meam processus rationem quod attinet , jam à vere proximo adaptavi me accinxeram , à quo tempore vix aliqua præterit dies quin operi vel manum admoverim , vel admovere jusseric , tum in colligendis , exsiccandis , & recondendis plantarum partibus , quæ in Gallia occurunt , nonnullæ in montibus , nonnullæ in planicie ; tum in accersendis Viperis vivis , ijsque uti decet præparandis , ac accurate expurgandis cunctis gummatis , radicibus , herbis , floribusque ; tum & depurandis defæcandisque succis , ac oleo è Nuce Moschata elicendo ; ac tandem ut Lugduno & Massilia evocarem id quod Parisijs vix probis conditionibus donatum mihi occurrisset ; Præstolandus erat Crocus recens , ante mensem Novembrem non sperandus , cuius deinde singula capillamenta extricanda & eligenda ; cui labori plures dies impendi debuere : Sine mora cuncta simplicia sigillatim recognoscenda & examinanda fuere , ac pyxidibus recondenda in futuram dispensationem ; cui operi id quod anni superstes erat insumptum fuit . Subsequenti Januario explicata & exposita fuere simplicia curiosorum oculis & censuræ , Februario autem Pulveres perfeci , operique ultimam manum admovi .

Nequaquam autem dubius sum quin ex accurata medicaminum omnium commissione , cunctisque in idem vas conjectis , calore inato cæterorum simplicium , ab aciditate chalcitidis , hypocistidis & acaciae excitato , ijsdemque adjectione mellis & vini collectis , & ad debitam consistentiam deductis , futurum ut fermentatio rite succedit , è qua virium totius unitas exurgat , magis sane intima quam ex conjunctione eorundem simplicium cum melle .

Adde quod ex vicinia accendentis ad nos Solis spes est Theriacam semestri exacto idoneam futuram usibus quibus destinata est : Nec enim occupare id tempus consulio , ne traditas ab authoribus normas , easque æquissimas prætergredi videar , à nullo non observatas .

Ad finem hujus Tractatus plurima confederatione digna remitto , quoad missionem , ætatem , vires & usum Theriacæ : Cum enim ad maxime necessaria properem , initium ducturus sum à descriptione ab Andromacho , primario Imperatoris Neronis Medico , tradita .

## C A P U T I V.

## T H E R I A C E S D E S C R I P T I O.

*Omnium pondus, numerumque tradō,  
ex quibus junc̄tis Opiata conſtat,  
Post notas horum varias ſeorsim  
carmine dicam.*

<i>Pastillor. Scylliticorum unc. xxxvij.</i>	<i>Zinziberis,</i>
<i>Pastillorum Viperinorum,</i>	<i>Pentaphylli,</i>
<i>Magmatis Hedychroi,</i>	<i>ana unc. iv. ſem.</i>
<i>Piperis longi,</i>	<i>Polij montani,</i>
<i>Opij Thebaici,</i>	<i>Chamæpytios,</i>
<i>Rosarum rubrarum,</i>	<i>Styracis Calamite,</i>
<i>Iridis,</i>	<i>Meu,</i>
<i>Succi Liquiritiae,</i>	<i>Amomi,</i>
<i>Seminis Buniadis,</i>	<i>Acori veri,</i>
<i>Scordij,</i>	<i>Nardi Celticæ,</i>
<i>Opobalsami,</i>	<i>Terræ Lemniæ,</i>
<i>Cinnamomi,</i>	<i>Valerianæ majoris,</i>
<i>Agarici,</i>	<i>Chamædryos,</i>
<i>Myrræ,</i>	<i>Malabathri,</i>
<i>Cofti,</i>	<i>Chalcitidis,</i>
<i>Croci,</i>	<i>Gentianæ,</i>
<i>Cassie ligneæ,</i>	<i>Anisi,</i>
<i>Nardi Indicæ,</i>	<i>Feniculi,</i>
<i>Schoenanthi,</i>	<i>Hypocistidis,</i>
<i>Thuris masculi,</i>	<i>Carpobalsami,</i>
<i>Piperis albi,</i>	<i>Gummi Arabici,</i>
<i>Nigri,</i>	<i>Cardamomi minoris,</i>
<i>Dictamni Cretici;</i>	<i>Seseleos,</i>
<i>Praſij albi,</i>	<i>Acacia,</i>
<i>Rhapontici,</i>	<i>Thlaspeos,</i>
<i>Stoechadis Arabica,</i>	<i>Hyperici,</i>
<i>Petroselini Macedonici;</i>	<i>Ammeos,</i>
<i>Calaminthes Montanæ,</i>	<i>Sagapeni,</i>
<i>Terebinthinae Chiæ,</i>	<i>ana unc. iiij.</i>
	<i>Aristolochiae tenuis,</i>
	<i>Dauci Cretici,</i>

<i>Bituminis Iudaici ,</i>	<i>Castorei , ana unc. j. sem.</i>
<i>Opopanacis ,</i>	<i>Mellis prestantissimi ,</i>
<i>Galbani ,</i>	<i>Omnium triplum pondus.</i>
<i>Centaurij minoris ,</i>	<i>Vini generosi q. s.</i>

Cum per capita distincta , non solum de electione & præparatione singulari omnium Theriaces simplicium mihi agendum incumbat , sed etiam de eorundem mistione , ac in unum corpus coagmentatione , initium à Scilla , quæ omnium prima occurrit , ducturus sum .

## C A P U T V.

## D E S C I L L A.

*Litori nascens rubicunda Scilla ,  
Molis optatur mediocris , albam  
Sumimus partem , spoliis & imo  
Corde remotis.*

**C**onfusionem declinare studens , & veritus ne Lectori tedium patriam , adductis sermonibus & quæstionibus inutilibus , tum hoc capite tum in subsequentibus , in compendium quæ apud Authore occurserunt contraham , qui plurimas paginas nullius frugis verbis impleverunt , additurus ea quæ à me ex proprio Marte adnotata fuere , initium faciat curia à descriptione Trochischorum Scilliticorum , quæ sic habet .

℞. *Scille affata lib. iiiij.*  
*Farina Orobii lib. iiiij.*  
*Fiant ex arte Trochisci.*

Ad ritam horum Trochischorum præparationem eligendæ sunt duæ vel tres Scillæ mediocris magnitudinis , succulentæ , graves , non viatæ , solidæ , coloris rubri , collectæ cum folia & caules emarcueræ , id quod messis circiter tempore accidit ; Pasta utcumque solida obvolvantur , ex tritici farina compacta , transversi circiter digiti crassitie undiquaque contegendæ , quæ sic incrustatæ in pistoris furno coquendæ sunt ; ibi finendæ donec panes maximi concocti sint : Exemptæ , & refrigerataæ , crusta qua obvolutæ fuere dematur , abjectis prioribus tunicis , quæ rubicundæ & quasi aridæ occurrent : Abjiciatur etiam medulla , cum parte duriori insimilæ partis Scillæ cuiusque ,

## CAPUT V. DE TROCHISCIS VIPERINIS. 15

que, quæ radici truncum quasi præbet; solas squamas, vel laminas albas & medullosas adsumendo, Quatum recipe pondus trium librarum, ac contunde in magnâ mortario marmoreo, pistillo ligneo; quibus accurate contritis & contusis adde, & paulatim commisce, libras duas pollinis Orobi, ex qua mistura effingendi Trochisci, qui incerniculio impositi protinus exsiccandi, divo expositi, procul à Solis radiis & igne.

*Zvvelferus* Oroborum farinæ præfert radicem Dictamni albi, in pulverem contritam, nec sine causa, radix quippe hæc eximia vi cardiacæ & alexiteria pollet, procul omni dubio Orobis præstantior, qui columbis idoneum quidem præbent nutrimentum, at vero cordi familiare nihil obtinent; ea solum ratione adsumpti ut in massam Scillæ pulpa coire posset, ac Trochiscorum formam hæc obtainere: Id quod à radice dictamni albi pulverisata licet consequi, ac insimul vim cordialem & alexipharmacam in Trochiscos derivandam: Quamobrem missam faciam controversiam, num Orobi albi fulvis potiores sint, quandoquidem facultatibus vix à se invicem discrepant, electionis libertate concessa iis qui *Zvvelferi* sententiam amplecti recusant, quam rationi multo magis consonam censeo antiqua hos Trochiscos præparandi ratione.

Nullus non Authorum plurima de qualitatibus & viribus Scillarum protulit, sicuti & de cæteris simplicibus Theriacæ compositionem ingredientibus; Ideoque intempestivum credidi additione ejusmodi libellum hunc augere, ratus satis futurum sub finem adduxisse vires novas Theriacæ à fermentatione accedentes, cuius ope vires singulares omnium confusæ occurrunt.

## CAPUT VI.

## DE TROCHISCIS VIPERINIS.

*Viperas quæres oculo feroci,  
mobili lingua, gracilique collo  
fæminas, canda breviore, sursum  
nare retorta.*

**V**Iperæ, ( Theriacæ nomen quæ indidere, præcipuam facultatum quibus pollet, impertientes, ) majorem mihi præparationem aggrediendi & reparandi quam cætera omnia ingredientia occasionem

præbent : Eapropter hoc capite ostensurus sum , ( concessa tamen ab Andromacho venia , & Doctoribus ipsius sequacibus ) nunquam ad legitimum examen deductos fuisse Trochiscos Viperinos antequam præscribantur: Imo nec rite Viperarum naturam exploratam, atque caduco fundamento innixos , authoritatibusque experientia non fretis , sententiam suam illos protulisse.

Priusquam vero rem adgrediar , quicquid à me circa Viperarum electionem observatum edisseram necesse est : Vipera ad Serpentum genus refertur , ἔχιστη vocant Græci : Auctorum omnium consensus est fœminas maribus præstantiores esse : In eam vero opinionem illos adductos esse censeo quod à cæteris serpentibus facilius quam mares discernantur ; qui quod minori capite & angustiori donati sint , à reliquo serpentinum capite vix dissimili , uti & collo , cauda reliquo corpore , vix ab iis distingui possunt : Viperis fœminis latius est caput & depresso , oculi micantiores , nares sursum reflexæ , lingua fissa admodumque flexilis , dentes duo longi , adunci , acutissimi , quorum unus latus cujusque maxillæ superioris occupat , ut plurimum reflexi secundum maxillæ longitudinem , sed quos erigunt & extra proferunt hostem impugnaturæ aut injuriam sibi illatam vindicaturæ : Plurimis quoque aliis dentibus , sed minoribus , præditæ sunt in utraque maxilla sitis ; Collum illis brevius est & tenuius , truncus corporis mediocriter crassus , longitudinis mediocris ; juxta & caudam subtus donantur foramine per quod excludunt excrements & foetus vivos : obtinent præterea cor , jecur , fellea vesicula præditum , pinguedinem , cum nonnullis intestinis , quinimo & uterum : Missas facio plurimas de Vipera narrationes , de fœminarum cum maribus coitionibus , & fœtuum exclusione , necessaria solum allaturus , ac primo quodnam capturæ illarum idoneum sit tempus .

Andromachus , Galenus , Damocrates , Avicenna , ac plurimi qui de Theriaca scriptis aliquid consignarunt , admodum à se invicem & perperam dissentient circa tempus capiendarum ad præparationem Viperarum : Omnes fere unanimi consensu ver determinant ; alij ejus initium , alij medium , sed plerique finem præscribunt , imo nonnulli æstatem præferunt , inchoantis vel desinentis nulla mentione facta , unde Damocrates .

*Æstare grandes Viperas bis decem ,  
Venator captas quas recentes attulit.*

Alij libertatem concedunt inter ver & autumnum vindemiæ tempus admittentes , id quod ipse Galenus proposuit : Si bene sentio , varietas illa opinionum præcipue pendet à diversitate locorum quæ incoluerunt

re authores qui ea de re conscripsere ; quorum plerique censiere veris initium inchoandum cum frigora desinunt ; Cum porro Italia, Græcia & Arabia, patria fuerint plerorumque authorum qui scriptis tempus designarunt ; tempus ab Ephemeridibus astrologicis nobis indicatum quo Ver incipit , cum propemodum accedat ad id quod ejus finem assignant , ideo vix quid sibi vellent designare licuit : ad hoc vero maxime in illorum scriptis attendendum, quando ajunt Viperas capiendas esse paulo postquam latebras egressæ sunt , Solisque calorem nonnihil expertæ sunt , ac frui illis licuis commodo alimento quod tempestas subministrat : At vero parum sibi consentanea loquuntur cum meminere temporis quo Viperis fœniculi semine vesci licet , quod autumno solum rite maturum occurrit : aut exeunte æstate ; Confusionem vero maiorem inducunt cum eodem tempore cum fœniculi semine flores prates , sub quibus violas comprehendunt , concurrere volunt ; iisdem uno eodemque pastu Viperas frui jubentes ; quæ mens fuit Andromachi , ubi de tempore capturæ Viperarum commodo verba facit.

*Et passim violis carpit vernantia prata  
Dum viridis quarit semina fœniculi ,*

Hæc opinionum varietas animi perturbationem inducere potest si verbo tenus rei accepta fuerit ; plurima enim sibi invicem repugnantia occurant , non solum in diversis authoribus , sed etiam in uno eodemque , ac præsertim ipso Galeno , qui uno in loco præfert veris initium , in alio finem ; quinimo æstatem inchoantem si hyems diutius producta fuerit ; alibi iterum electionem liberam relinquit inter ver & autumnum : Sed existimo artificem his immorari non debere , cunctis vero ad examen deducatis , illud amplecti quod optima fulcit ratio .

Mearum ergo eum sit partium quid sentiam circa tempus consentaneum Viperarum capturæ , necnon earundem præparationi , primo consentio omnibus authoribus Hyemem excludendam esse à numero tempestatum venationi illarum idonearum : illo quippe tempore admodum strigosæ sunt & languidae , tum ratione inediae prægressæ , tum ratione probi aëris in illarum latibulis defientis , alio tempore comodioris .

Æstatem quoque minus faventem existimo , tum ratione dissipationis partis idonei alimenti quo per æstus fruuntur , tum quia tum temporis ovis fœcundæ sunt , jam grandioribus , imo fœtus forte jam conformatiōnem in alvo obtinent , si ætas provecta fuerit , adeo ut eapropter Viperæ proculdubio succo exhaustæ sint .

Dux ideo supersunt tempestates eam in rem opportunæ, Verscilice & Autumnus, quæ iterum omnino distinctionem patiuntur, quoad initium, medium & exitum; Ver Autumno potius videtur, quod plures adprobatores nactum sit, electio vero eo magis rationi consona futura est si tempus maxime commodum arreptum fuerit: Sed & Autumno occurrere potest tempus non repudiandum; Ver quod attinet, existimo nisi hyems admodum prolixa fuerit, mensem Aprilem idoneum esse tempus capiendis Viperis; cum enim frui illis datum fuerit spiritu universali, quem Deus abunde super omnia circa æquinoctium vernum diffundit, jamque ab aliquo tempore latebras deseruerint, obvia habuere proba alimenta quæ tempestas profert, Sin nondum occurrit semen fœniculi, herba non defuit, uti nec flores vernales, plurimaque minuta animalcula in escam ipsis venientia: quinimo & quodammodo innovantur, exuta priori pelle.

Etiamsi vero coitus cupidus, & cum maribus consequens copulatio, nonnihil vivifici illius spiritus vernalis, quem paulo ante hauserant, absumperint: ova porro conformatiōnem forte consequuta sint, conjunctio tamen illa mutua cum indicium præbeat optimæ constitutionis; ova autem tunc temporis cum admodum exilia sint, verisimile non est ipsas nimium esse exsuccas, ac proculdubio convenientius vere non occurrit tempus.

Autumnū quod spectat, non immerito *Galenus* Vindemiarum tempus prætulit, à quibus exordium dicit; nam adde quod in arvis fœniculi semen adhuc prostat, uvæ, plurimique alij fructus grato illo tempore maturitatē adepti, occasionem præbent generationi plurimis insectis, gratum & probum illis nutrimentum præbentibus, uti & plurimis aliis animalculis, Viperarum esca futuris.

Sive porro ea tempestate Viperæ fœtus sarcina liberatae sint, sive ratione probi & ubertim occurrentis alimenti plusquam alia quavis tempestate, tunc optima est illarum constitutio, imo pinguiores sunt quam omni alio tempore, non secus ac maxima pars cæterorum animalium, quæ plerumque autumno meliorem habitum nacta sunt quam quavis alia anni tempestate: Qui autem Viperas autumno captas macillentes admodum esse asseruerunt, quod pellem tunc exuant, decepti illi sunt, finem autumni pro hujus initio usurpantes; ac in manus forte illis venerare nonnullæ viperæ jampridem incarceratae, morbosæ & languidae, quasi recens essent captæ, à fine circiter Septembri ad medium Octobrem, aut si vis, ad exitum usque ejusdem mensis, cum præcedens hyems in longius usque tempus protracta fuit.

Sin dixeris plus justo frigidam esse tempestatem, ob quam Viperæ torpidæ

torpidæ evadunt, repono non minus tales esse inchoante vere; neque eo in statu deprehendi nondum exorto Sole, id quod non minus vere quam autumno contingit, neque tamen propterea non pristinum vigorem readsumere prout Sol ad metam properat.

His addo in Italia, ubi primus omnium *Andromachus* Viperas ad insignis istius Antidoti compositionem venatus est, noctes admodum algidas esse, media etiam æstate, ac proinde Viperas verno tempore captas non minus quam autumnali proculdubio frigoris nocturni efficaciam experiri, et si omni cura id declinare studeant latebras sub lapidibus aut frondibus querentes: cum vero frigus hoc ingruente nocte illis beneficium sit, à quo mitigantur ingentes quem de die perpessi sunt æstus, non minus vere quam autumno, cum Solis radij intense feriunt, eadem ratione Sol oriens, pauiatim discutiendo impressiones à frigore nocturno inductas, illico pristino illas vigori restituit, constitutionem requisitam & qualitates idoneas quæ in usum venire queant imprimit.

Validissimum hoc argumentum palam faciet, sive vere, sive autumno, capiendas esse Viperas paulo post Solis exortum; nec minus cavenda esse diurnum æstum quam nocturna frigora; Liberum unicuique sit arbitrium Viperas vere vel autumno capiendi, dummodo utraque tempestate observatum fuerit legitimum tempus, quod à me rite designatum est, ut censeo, ratus à discimine, quod ver & autumnum intercedit, non posse offerri censuræ occasionem æquam, sicuti à nobis in hujus capitinis decursu observabitur, quoad antiquam Trochiseorum Viperinorum præparationem.

Porro admirationis causa se affert, quod censura digni iudicati sint Trochisci Viperini, non ratione præparationis, juxta antiquam normam institutæ, sed quia admissæ fuerint Viperæ autumno captæ; quandoquidem ob rationes à me modo adductas, non præstantissimæ esse nequeunt; Porro, cum quocunque anni tempore Viperæ in usum accersantur, si illarum caro in aqua elixata fuerit, Trochiscorum gratia formandorum, nonnisi corpus expectandum ex partibus semi-mortuis constans, ac proinde repudiandum, id quod mox ostensurus sum: Ac proculdubio necessitas multo evidentior urgebat omnino improbasse ejusmodi Trochiscorum præparationem, melioremque illi substituisse quam inani argumentorum serie ostendisse Viperas vere captas autumnalibus esse præferendas, ut inde exsurgat præparatio omnino nihili & in publicam viam abjicienda; Cujus emendatio ab iis solummodo speranda quibus rite perspectæ cum sint probæ qualitates partium ex quibus constant Viperæ, in illarum præparatione arte cavere norunt ne dis-

pereant, sed sartas tectas conservant.

Nec minus mirum collegium quoddam Pharmacopœrum Urbis celebris, extra regnum hoc sitæ, in consilium adhibuisse Pharmacopœos Parisienses, Monspelienses aliosque, ob excitatam inter illos controvèrsiam circa legitimam panis proportionem carni Viperarum ad concinnandos Trochiscos admiscendi: Cum enim non minus illis quam nobis cura incumbat disquisitionis notitiæ internæ & externæ partium cunctarum mixtis inexistentium, atque ea ratione illas præparandi, ut repudiato id quod improbum & inutile continent, quicquid probum est ac cognitionem authoris subterfugere non debet, conservari queat, Ab illis non animadversum potissimum, & maxime essentialē Viperarum facultatem, in illarum spiritu positam, sale & oleo volatili, cum in juculum accedente elixatione transmissa sit, carnem inde eductam cum viribus ejusmodi orba sit & destituta, iterum additione panis infringendam non fuisse, confusionem tantum allaturi nedum eximium quiddam producturi, Id quod apertius per nos in hujus capitinis serie futurum est.

Loca quod attinet unde Viperæ accersenda, Lugdunensis & Pictaviensis ager in hoc regno omnium optimas subministrat; Sine mora captæ in usum veniant, ne diutius adservata strigosæ & macilentæ fiant.

Id notatu dignum est, si quamdiu robore pollent trucidatæ fuerint, non modo corporis truncum, caput & caudam, etiam diu ab amputatione mobilitate vigere, sed & eundem truncum cute denudatum, interaneis liberatum, exacto nycthemero adhuc motus facultate polle-re: Cor autem ab aliis partibus secretum, exactis horis viginti qua-tuor, Soli expositum, aut aquæ calidæ immisum, palpitationis motu cieri: Imo caput, à trunco absctum, mordendi tentigine etiamnum teneri si quid illi admotum fuerit: nec minus infestum esse mortuum quam si trunco adhuc cohæreret: indicio manifestissimo in Vipera vires omnino singulares latere; quod ejusmodi circumstantiæ in his potius quam in quovis alio animali deprehendantur.

Neque satis est rita Viperarum electio, earundemque idoneo tempore venatio, requiritur & artificiosa præparatio: si enim antiquæ methodo institerimus, sexcenti sequutui sunt errores.

Primo illarum præcipitur flagellatio ante detrunctionem capitis & caudæ, quo, inquiunt, in iram & quasi furorem incitentur, ac omne venenum, quod toto corpore sparsum ac præsertim cysti fellea contineri existimant, ad caput impellatur; At ipsis ignota sunt infinita experientia, puperis annis patefacta, per quæ constat venenum Viperinum neque

neque in illarum corpore neque felle disquirendum esse; Ac primo notum est plurimis carnem Viperarum in escam venisse, eodem modo ac anguillarum adparatam; palatoque arrisisse, nedum ullatenus noxiā fuisse: 2. Memoria illorum excidit curatio Elephantici epoto vino in quo suffocata fuerat Vipera; cui, nequaquam præmissa flagellatione, aut quapiam alia præparatione, effundere licuit in id vinum fel, aut saliyam, aut quicquid virulenti in illo animali singitur. 3. Ipsos etiam latebat nonnullos homines, imo plurima animalia, fellis Viperini pondus sem-uncia deglutiisse, quinimo & saniem illam, aut virus, maxilla superiore contentum, nullo subsequuto detimento: 4. Id à quo maximum imminet periculum in morsu situm esse, ratione longitudinis & eximiæ dentium tenuitatis, à quibus aperturæ adeo exiguae imprimuntur, et si alte demissæ, ut spiritus interni in rabiem acti ab isto morsu, eo affatim confluentes, denegato exitu, insignem commotionem & confusionem in partibus externis excitent; ipsa autem sanies è maxilla superiore emitti solita dum Vipera morsu infligit vulnus, viam sibi faciens in exigua foramina à dentibus inficta, imo spirituum egressum præpediens, incrementum malo præbet, atque fortuito parit id quod alias non contigisset in corpore hominis morsu non imperiti.

Suspicio etiam terrorem spiritibus inductum, à timore morsus Viperini, imo antipathiam hanc naturalem quæ homini & serpenti innata est, non parum ad mali augmentum conferre: Neque tamen censeo et si dentes minus longi forent & acuti, morsum nihilominus non periculi plenum esse, sed curationem multo citiorem & faciliorem futuram.

Neque etiam in ea sum sententia saniem à gingiva superiore manantem veneni plane expertem esse, experientia quippe mihi notum illam incisioni, aut vulneri, immissam metuendos inducere effectus: sed præterquam quod hi vix contingunt citra morsum à dente inflictum, illud apud me ratum si abscissum fuerit caput Viperæ, relicta colli portione ad crassitatem digiti transversi, non modo nulla ejusmodi saniei superesse vestigia, sed etiam omne venenum in dicto animali contentum aboleri.

Si ergo cognitum fuisset corpus Viperinum, in usum quod adducitur, veneni expers esse, studium non adfuisset id profligandi quod abest; neque vitiosa qualitas, antea absens, inducta fuisset: Id enim apud me constitutum, spiritus ira excandescentes posse venenum illuc inferre ubi abest, atque irritationem Viperæ inductam à flagellatione, posse parere & insinuare illius corpori venenum quo antea destitutum erat: Cujus rei exemplum admirandum suppetit, si modo vera de Turcis tradantur, scilicet hos venenum præsentissimum & subtilissimum adepturos, hominem rufi capillitii pedibus suspensum tenere, ac salivam ex ore ex-

stillantem colligere, quam effundit rabie percitus pariens ob suspendij supplicium ad interitum usque productum : Facultas autem venenata istius salivæ, à Turcis eum in finem adservatae, nonnisi spiritibus excantibus adsignari potest, quandoquidem hominis saliva propria natura nequaquam venenosa est.

En primum errorem in præparatione Viperarum admissum; proximus non modo deterior est sed præterea alios conseqüarios trahit pluimos, Præcipiunt enim amputatis capitibus & cauda Viperarum, cute spoliatos truncos, in aqua elixari, addito salis manipulo uno, & anethi æquali quantitate, quoad caro à spina secedat; hanc separationem digitorum ope perficiendam volunt, atterendo & affricando manibus truncos in ipso juscule; colligendo autem quicquid carnis se offert, ad summum delatum, & aquæ innatans, spinis subsidentibus relictis effungi demum ex carne, ea ratione cocta, Trochiscos, illius adsumendo partes quatuor, panis autem biscoeti & pulverisati partem unam: Jusculem quod attinet, ex eorum sententia cum inutile sit, capropter abjicitur.

At vero ejusmodi præparatio errorum insignem seriem inducit, nam primo ad quid salis & anethi adjectio huic decoctioni, si nihil vitiosum propria natura trunci Viperini continent? Ipsi præterea Trochisci absque fale conservari possunt, quod illorum scopo omnino diffentaneum est; repudiant quippe Viperas juxta maris littora captas, quia rebus salitis pro alimento usæ sunt, ratione hac addita quod sitim ægris inducent.

Secundo, cur in Jusculem vim carnis præcipuam transfundunt? Error venia dignus esset si Jusculem Elephanticis hauriendum offerrent, vel iis qui limoso & crasso sanguine scatent, cui rei illi ipsi eximie conducere id censem; sed id effundunt, quidni & ipsam carnem (nec enim error minus gravis) in quod caro vires suas pene omnes effudit? Etsi vero quatuor adsint carnis partes, unica panis, nihilominus cum in carne eo modo elixata non pauca supersit humiditas, quæ demum in auras facessit, accidit ut postquam exsiccati sunt Trochisci tantundem supersit panis, qui inutilis, quam carnis, neutiquam efficacioris: Neque vero artis Medicæ, neque Pharmaceuticæ cognitio necessaria est ad judicium de his ferendum cum vel vilissimo coquò notum sit Jusculem non sapere nisi ad se allexerit purissimam rerum incoctarum substantiam, Nec præterea cibos retinere probitatem succi si in Jusculem effusus hic fuerit.

Ut ergo Theriaca admittat basin nequaquam vitiosam, idonea tempestate eligantur Viperæ quales depinximus, dimissaque flagellatione, abscin-

abscindatur illis collum pollicis transversi latitudine proxime caput; hinc cauda, demum exenteranda, & ab contentis in alvo liberanda, seorsum repositis corde, jecore & pinguedine (quæ in alias usus venire potest,) Postmodum trunci accurate mundentur, sicuti & corda ac jecora, in aëre exsiccanda & extra Solares radios, quorum usus deinceps designandus est; Pinguedo eluenda est, liquefacienda, percolanda & seorsum ad usus recondenda: Capita autem, caudæ & cutis artificibus suppeditatura sunt sal volatile, & fixum, spiritum necnon & oleum, insignibus viribus prædita.

Vice autem antiquorum illorum Trochiscorum, æquale pondus adsumendum erit truncorum, cordium & hepatum Viperarum exsiccatorum; quæ una cum cæteris medicamentis Theriacam ingredientibus pulveranda sunt; Id pro comperto habendo illis adsignandas esse præcipuas Viperæ qualitates, in illius spiritu sitas, oleo, salibusque fixo & volatile, quæ artificibus proclive est ab ejusmodi truncis, cordibus & hepatis, ea ratione exsiccatis elicere; At vero Trochisci prisco modo præparati nihil aliud quam inutile phlegma suppeditare possunt, fœtidum, effœtum, spiritibus destitutum, ac sale tum fixo tum volatile; quæ cuncta indubia sunt indicia carnem Viperinam in Juscum quicquid utile continebat transfudisse.

Sin quis antiquæ normæ tenax ex his Truncis Trochiscos effingere, cordibus & hepatis exsiccatis voluerit, prædicta in subtilem pulvrem conterat, ac in pastam solidiusculam deducat, addito vino malvatico, in quo tantillum gummi Arabici dissolutum fuerit, concinnetque Trochiscos illis similes qui vulgo parari solent; Possunt ijdem inungi Balsamo Peruviano postquam exsiccati fuerint, tum odoris tum conservationis causa.

Non defuturos scio qui objiciant in Truncis Viperarum, eo modo exsiccatis, tantundem ut minimum spinarum quam carnis repertum iri, id vero non expectandum antiquorum methodo observata, per quam omnino caro à spinis mediante elixatione abscedit; At vero quibus intime perspecta fuerit spinarum Viperæ natura, sicuti & carnis manifestum futurum & plus spiritus in illis latere, olei, salisque tum volatile tum fixi, quam in ipsa carne; etiamsi vero pondere carnem æquarent, præstantiores tamen illas esse absque dubio pane pulverisato, utile nihil plane conferente.

Ut vero res dilucidior fiat, illud scire interest ossa animalium, etiamsi esui inepta sint, in se tamen easdem partes quas carnes continere; Ne autem eandem crambem recoquam, iterumque quæ à me modo de Viperis prolata sunt adducam, Coqui juscum paraturi es-

sa non prætermittunt si suave & succulentum offerendum fuerit , resque melius illis succedit quam si solam carnem dimissis ossibus admitterent ; id vero nequaquam sperandum si omnibus viribus orba essent ossa , ac tantummodo à Natura essent condita ad firmamentum & compagem partium animalium , sicuti nonnullis visum est.

Præterea tenendum ( sicuti ante de Trochiscis præmonui ) carnem Viperinam prædicto modo elixationem passam , Retorta postmodam exceptam , nihil fere aliud quam inutile phlegma effundere in Recipientis , at vero spinas , quæ æqualem cum carne elixationem expertæ sunt , sal iterum , fixum & volatile exhibituras esse , cum tantillo oleo in illis superstite, ob substantiæ scilicet soliditatem.

Etiamsi vero Sal illud volatile viribus multo inferius sit eo quod è Viperis , ante illarum elixationem in aqua expectandum esset , arguere tamen exinde facile licet spinas illas nequaquam esse repudiandas , ac una cum carne jure merito posse admitti , à qua nonnisi ægre , non accedente elixatione , divelli possent ; sin prægressa diutina decoctione , superstes nihilominus est Sal volatile & fixum , nec non Oleum , proculdubio majorem copiam illa non accedente obtinebant ; Id vero apud me constitutum majorem copiam ipsa carne illa possidere , ac proinde plus inesse virium.

Mirum forte quibusdam videbitur me digitii solum crassitudinem de collo demere una cum Viperæ capite , sed si fundamento à me positio adsensum præbuerint , Viperam tum demum veneno instructam esse cum occasione data morsu imperiti , corpus autem illius propria natura omnino expers esse veneni , illi proculdubio adprobaturi sunt quod quicquid utile esse potest reservem , cum vero cæteris in more sit plurimum digitorum longitudinem colli demere , unico contentus sim.

Caudam quod attinet , integrum abscindo , eo quod carne nimium nudata sit , minimique momenti quam ut in partes & societatem venire debeat ; et si non omnino rejicienda sit , cum ex illa elici queant spiritus sialia & oleum ; id quod à nobis jam ante adnotatum.

Viperas autem non possum non magnis elogiis efferre , etiamsi enim morsu maximum in discrimen ducant , nisi cautio adhibita fuerit , nihilominus nullum animal occurrit magis innocuum , à quo tamen tantum emolumenti quam à Vipera expectandum fit .

*Nam caput & caudam , truncum , fel , pingue , cutemque  
Cor , Iecur & spinas optima cuncta scito .*

Id vero asseveranter dico , quoad omnes partes Viperam utilem esse ;  
quan-

quandoquidem unaquæque seorsum , aut conjunctim, utrumque sal suppeditare potest , spiritum & oleum ; penetrabili vi adeo insigni prædicta, & tam efficaci, ut merito altera Medicæ artis columna censerit queat: Unde colligere licet quanto in errore illi versentur qui repudiatis cæteris omnibus Viperæ partibus, sola carne contenti fuere, quæ non omnino inutilis esset futura nisi præcipuam illius efficaciam juculo immersam dimitterenti , quam additione panis ulterius infringunt.

Cum porro mei sit officij in omnibus optimam methodum sectari circa præparationem remediorum quorum tractatum suscipio ; ut & ad conservationem optimarum facultatum in illis latentium , neminem credo mihi obtrectarum , si prohibenda causa destructionis Viperarum , quam antiqua inducit præparatio, novam in eam methodum, afferram, cuius ope tantum abest ut vis inferatur Viperis, quin potius quicquid in illis præstantissimum est remaneat: Inviolato autem scopo Authoris, quanquam vim illi inferre videar , à partibus totus illius sto , nactus in illa compositione quicquid Vipera præstantissimum obtinet ; id quod proculdubio in compositionem inferre ille fatagebat.

Immutatio ejusmodi solam præparationem attingit , quæ cum Pharmacopœi juris sit , non secus ac electio & mixtio, vereti non debeo ne reus sim præteriorum limitum ; Nimiopere Medicos veneror quam ut ingenij mei metas transgredi audeam , & ea quæ fidei meæ commissa sunt transgredi , Sincere vero dicam , si asseruero ex illorum numero plurimos ad sensum mihi præbuisse.

Possem & hoc inferre methodum mihi familiarem ad educationem Spiritus, Olei, & Salium volatilis fixique Viperis inexistentium; eorundem postmodum separationem , ac illorum unumquodque ad ultimam perfectionis metam deductionem ; At cum hoc ad Theriaces præparationem nequaquam conducant , ac præterea ultra Tractatus suscepti limites proveherer, pro tempore supersedebo , rem tempestivius suscepturnus in Pharmacopœa Galenica & Spargirica , quam in publicum me propediem emisflurum spero.

## CAPUT VII.

## DE TROCHISCIS HEDYCHROI.

*Magnati nomen Crocus & colorem  
fecit, ut vires Asarum, Marumque  
Balsamum, Nardus, Calamusque odorans  
Costus, Amomum.*

*Tom. III.*

D

**A** Croco nomen & coloris elegantiam mutuantur hi Trochisci: Cætera medicamenta singula conferunt vires eximias ad istius compositionis perfectionem.

Olim hi Trochisci ad suffumigia admittebantur ob suaveolentiam, quam & nomen indigitat; possent & hodierna die eundem in finem usurpari, at solummodo Theriaces gratia componuntur: Cum porro pars maxima simplicium, istos Trochiscos ingredientium, iterum in Theriaces descriptione occurrant, solummodo hoc loco adducturus sum quod spectat ea quæ sub hac non comprehenduntur, de cæteris loco idoneo dicturus, Trochiscorum dictorum descriptio hæc est.

<i>R. Mari,</i>	<i>Xylobalsami,</i>	<i>aa. drach. vij.</i>
<i>Amaraci,</i>	<i>Malabathri,</i>	
<i>Asari,</i>	<i>Nardi Indicæ,</i>	
<i>Aspalathi,</i>	<i>Cassæ ligneæ,</i>	
<i>Calami aromatici,</i>	<i>Myrræ,</i>	
<i>Schoenauthi,</i>	<i>Croci</i>	<i>aa. unc. i. sem.</i>
<i>Costi,</i>	<i>Amomi,</i>	<i>unc. i iiij.</i>
<i>Phu Ponici,</i>	<i>Masticæ Chie,</i>	<i>drach. iiij.</i>
<i>Cinnamoni,</i>	<i>Cum vino generoso fiant Tro-</i>	
<i>Opobalsami,</i>	<i>chisci.</i>	

Horum Trochiscorum præparatio nimium facilis est quam ut præscribi debeat; adde quod plurimi dimissa cura effingendi Trochiscos, simplicium dispensationem eandem faciunt cum Theriaces dispensatione, id quod appositiissime fieri potest: Initium ergo ducam descriptionis Electionis & Præparationis medicaminum subsequentium.

## C A P U T VIII.

### D E M A R O.

*Quod Marum Patres alias latebat  
nascitur parvo folio virente,  
cuspidis forma, redolenti, amaro  
flore rubente.*

**D**iversæ ante hac de Maro extitere opinione s ; à se invicem adeo dissentaneæ & incertæ , ut maxima Auctorum pars satius duxerit Amaraci duplex pondus adsumpsisse , secundum ordine medicamentorum Trochiscos Hedychoi ingredientium , quam aliam quampiam plantam fortuito invexisse ; Nec omnino abs re , quandoquidem legitimum Marum illis non innotuerat : At vero iniquo procedendi genere uteremur illos imitati , quandoquidem notitiam nostram non subterfugit , ac id comparare nullo negotio licet .

Marum exilis est planta , lignea , odore acri nares feriens , plurimis ramusculis subrotundis donata , nonnihil hirsutis , præsertim versus cacumina , Folia viridia sunt aliquantum incana , pusilla , nec solum acuta , sed etiam larissæ ferri formam referentia : Sibi ex opposito respondent , modo simplicia , modo duplia ex utroque latere ; aliquando plurima sibi invicem superincumbunt , sed æquali semper observato ordine & numero : Utraque ex parte circa cacumen emittit spicas fere cujusmodi lavendula , unde emergunt minutti flores purpurei , odoris acerim.

Marum summa acrimonie & vellicandi vi est præditum , amaroris multi particeps , ori pertinaciter adhærentis , unde forte Mari nomen illud gerit , quasi *Amarum* .

Ubertim provenit in Insulis Hieris juxta Telonem Martium in Provincia Phocensi : Colitur & in hortis Lugduni Gallorum , ut & plurimis aliis Galliæ Urbibus .

Colligenda sunt cacumina quo tempore planta maxime est florida , ac tempore sereno ; & in ferta vel fasciculos colligenda , charta alba obvolvenda , extra radios Solares exsiccanda , sed loco aëri libero patulo : horum exsiccatorum abjiciendi caulinli , solis foliis & floribus adseratis , pyxide ad usus occludendis .

## C A P U T   I X.

## D E A M A R A C O .

*Molle Sampfucum , satis est ubique ,  
cognitum , gestat folium sub album ,  
candidos flores habet & suavem  
reddit odorem.*

**A**uthorum sententiæ de Amaraco non cædem fuere, quarum examine prætermisso, illud pro comperto habeti volo Amaracum ipsissimum esse Majoranam nostratem vulgarem; quam vocant Tenuifoliam, qui Botanicorum præstantissimorum hodie consensus est; ipsique peritissimi Pharmacopœi tenuem hanc majoranam usurpant ad compositionem Trochischorum Hedychroi, id quod adstruere volui nullo contradictionis timore, quandoquidem de Maro nullus superest scrupulus, cui cum majoranam substituere nequaquam necesse sit, omnis metus definit ne majorana bis compositioni Throchischorum infereratur.

Amaracus in Gallia notis simus est, quo nullus fere hortus caret: Dux illius statuuntur species, unus foliis majoribus donatus est, minus candicantibus & odoriferis: alter minoribus foliis gaudet, sed magis odoratis & efficacibus; Isque est quem Galli vocant *Majoriime Gentille*, Majoranam, tenui foliam, hoc in casu eligendam.

Amaracu exilis est planta, aliquantum lignea, plurimis caulinis prædicta, ramusclos multos emittens si luxuriare concedatur; foliis cum origano fere convenit, sed minora sunt, magis candicantia & teneriora; nec multum abladunt utriusque plantæ cacumina, at minora sunt & albidiora: In Gallia Narbohensi maxima quantitate excolitur, præser-tim hortis Nemausensibus & vicinis; ac in semen erumpere permittitur, quod ad Germanos demum transmittitur, apud quos plurimo est in usu.

Exiguum admodum est istud semen, rotundum & aliquantulum longum, à plantaginis semine figura non multum alienum; coloris est fulvi, odoris acerrimi, penetrabilis & amari, sicuti & tota planta.

Amaraci summitates colligendæ, siccandæ, expurgandæ, recondendæ & in usum adducendæ sicuti de Maro modo monuimus.

## C A P U T X.

### D E A S A R O.

*Incolit montes Asarum minutum,  
Floribus rubris, folio vidente,  
Sola sed radix petitur subalba  
Parvula, amara.*

**A**SARUM, *Gallis Cabaret*, aut *Nardus Sylvestris*, notissimum est in Gallia; nascitur in locis umbrosis, in excelsis Delphireatus montibus, Galliae Narbonensis & Arverniae, necnon plurimis in locis.

Pusilla est planta, caulinis praedita brevissimis, angulosis & fragilibus, folia gerens viridia, rotunda & extrema parte acuminata, hederæ foliis non absimilia; Sed minora & rotundiora, Auriculæ formam fere referentia; Flores gerit purpureos, campanulæ figura, juxta radicem una cum foliis emergentes, non secus ac in viola Martia: Odore penetrabili pollent, in quibus latitat semen acinos uvæ post maturitatem referens: Plurimas obtinet radices admodum exiles, fragiles, angulis donatas, nodosas, aduncas & candicantes, odoris & saporis acris ac amariusculi.

Sola in usum hoc loco adducitur radix, quæ propterea idonea tempestate colligenda, vere scilicet inchoante statim ac folia prodire incipiunt; hæc enim, me judice, tempestas totius anni commodissima est radicum collectioni; per hyemis quippe decursum licuit illis succum probum & efficacem congerere, illum demum in folia, herbas, caules, flores, & semina transfundere paratæ, à quibus prædicta excluduntur nisi è terra evulsæ færint radices.

Nonnulli Autumno eruere satagunt, à deciduis foliis, exsiccatoque caule; at radix maxima virium parte exuta est à præcedanca productione, nec concessum ill fuit spatium temporis ad novarum virium readiunctionem. quas iterum sibi comparare potest si terra tota hyeme commissa fuerit,

Cura quoque adhibenda ut plena Luna ebellantur, quod tempus in genere maxime idoneum est colligendis omnibus plantarum partibus.

Dicto modo collectæ radices optime eluendæ sunt, delectu postmodum facto earum quæ maxime candidæ sunt, succi plenæ & solidæ; Hæ cultro leniter expurgatæ, tum à fibris tum à quibusunque extraneis, incerniculo impositæ, procul à radiis Solaribus, loco libero exsiccandæ, ac ad usus reponendæ.

## C A P U T XI.

## D E A S P A L A T H O.

*Rarus est valde Aspalathus, rubentem  
pallido mixtum referens colorem  
Sit gravis, densus, subamarus, acer,  
pinguis, odorus.*

**A** Spalathus, ex plurimorum authorum sententia, lignum est ex arbore spinosa, gravi, densa, oleaginea, acri, amara decerpsum : Color illi est purpureus & variegatus, odoratus, admodum accedens ad vires, saporem, odorem, gravitatem & formam ligni Aloës, si colorem purpureum exceperis, qui in Agallocho alias est, colore ad fuscedinem magis inclinans.

Cum rarius occurrat Aspalathus, ideo αἴτια μούχων illius esse voluerunt nonnulli semen Agni casti, at nullo jure : Alij Santala, usurpant ; sed si cura non defuerit, vel Massilia, vel Lugduno Gallicorum facile legitimum arcessere licet ; quamvis si succedaneum illius sit sincerum lignum Aloës, non multum meo judicio decedat viribus horum Trochiscorum, quandoquidem lignum hoc non multum recedit à viribus & qualitatibus Aspalathi.

Lignum istud nulla præparatione indiget, satis est probum delegisse, ea ratione dispensandum ; Si nihilominus cortice vestitum occurreret, abjiciendus hic foret, adsumpta solum ligni parte maxime sincera.

## C A P U T XII.

## D E M A S T I C H E.

*Lenta Lentiscus lacrymans, odorans  
Mastiche fundit, teneram: Chienis  
omnibus præstat, levis est & alba,  
lucida, pura.*

**E**X quorundam sententia Lentiscus pusilla arbor est , alij procedram esse volunt ; Forsan loci natalis diversitas differentiam aliquam parit : Utut vero sit , ex consensu omnium authorum arbor est foliis donata oblongis & subviridibus toto anni decursu : ramis crassis & flexilibus , sapore & viribus stypticis : Consentunt iidem Mastichen prodire ex arboris cæso cortice , præstantissimam vero ex Insula Chio adferri.

Mastiche Gummi resinis accensetur , Pharmacopœis notissima ; in mortario facile pistillo obediens , addita aquæ gutta una vel altera , cuius ope partium compages facile divellitur , quamobrem in pulvrem nullo negotio conteritur istud Gummi resina ; quod mollitiem præterea , ductilitatem & tenacitatem à calore adipiscitur :

Optima Mastiche alba est & pura , lacrymis pellucidis distincta ; odore & sapore insuavis non est : Trochiscos hos quod attinet , satis est admisisse candidissimas lacrymas , purissimas & splendidissimas , dimissa quavis alia præparatione .

## C A P U T . X I I I .

*D E P I P E R E L O N G O .*

*Hoc Piper gustum retinet rotundi  
granulis constans simul ordinatis ,  
pendulum , longum , solidumque , Macri  
nomine dictum .*

**P**iperis longi uberrimus est proventus in Bengala : Planta hujus ferax admodum similis est illi quæ Piper rotundum masculum profert ; hoc discrimine quod reptilis est , aut saltem sursum nequaquam se evehit , folia autem magis virescunt & teneriora sunt , cauda autem multo brevior .

Ex nonnullorum sententia Piper longum racemos est , vel scapus Piperis vulgaris , dum adhuc virescunt collectus , & antequam grana incrementum adepta sint : Sed etiamsi ex fidelibus relationibus de opposito nobis non constaret , omnino evidens est Piper longum fructum esse omnino à nigro & albo diversum ; ac omnino fieri non posse , ut adeo grave , densum & compactum occurreret , nisi maturitatem adeptum esset ; ac omnino necesse fuisse exigua illa grana , tam ele-

ganti ordine distincta , adeo arcte mutuo cohærentia , à se invicem multo magis fuisse dissita quo incrementum caperent.

Piper longum catulos vel jubos corylinos refert , dactyli longitudine , crassitie illorum nuclei , forma rotunda , Constat ex granis exiguis , solidis , ad semen milij propemodum accedentibus , eleganti ordine compositis , sibi mutuo cohærentibus ; quæ quamvis facile distinguantur , & à se invicem dirimantur , unicum tamen corpus constituant , unoquoque grano cuspide ad centrum vergente , exiguo nervo adfixo , à quo simul omnia colligantur ; in cujus summo occurrit pars quæ pedunculum præbet , cūjus ope plantæ , illius parenti adhærescit.

Sapore finitus est Piperi vulgari , in calore tamen & siccitate paucilo temperatus est : sed adversus venena magis specificam vim obtinere creditur quam cætera Piperis genera.

Eligendum est succi plenum , solidum , recens & plane cariei expertus : Cultelli apice pedunculus eximendus ; leniter atterendum impositum segmini telæ asperæ , ut pulvis excutiatur si quis adhæserit ; qui dolo aliquando non aufertur celandæ cariei gratia .

## C A P U T X I V.

## D E O P I O.

*Mittitur Thebis Opium subalbum  
Sole quod summo generat papaver,  
Optimum stillans Capiti virenti  
vulnere facto.*

**S**i morbis hodierna die occurreret Opium , legitima & innata puritate donatum , cuiusmodi ab antiquis descriptum nobis perhibetur , de præparandi ratione nulla incumberet necessitas : Nihil enim revera aliud est quam liquor stillans ex magnis papaverum capitibus ante maturitatem incisis , vasis aut vesicis exceptus .

Liquor hic dum prodit , lactiformis est , paulatimque concretiōnem obtinens , sensim alium induit colorem , ac temporis decursu fuscum adipiscitur , Id quod ipsemet experimento didici , incisis capitibus viridibus papaveris in Gallia Narbonensi : At cum regio illa minus quam Thebana astuosa sit , ac proinde minus eam in rem idonea , labor voluptatem & quæstum superat , ideoque ad Turcarum subsidium

subsidium confugiendum est , qui præparatum ad nos transmittunt.

Cum vero quodcumque Opium defertur à sincera puritate , quam optamus , plurimum recedat : idemque et si pro genuino succo expresso , quem vocant Meconium sit habendus , saltem plurimas impuras fæculentias commixtas habeat , ideo nequaquam in Theriacam venire debet nisi accurata expurgatione præmissa :

Prius vero Opium selectissimum accipiendum est , quod ut plurimum coloris est fulvi & obscuri , Illius purissima pars eligenda , minimum grumis infecti , fæcibus parum conspureati , quod fractum maximie intus pellucidum est ; odoris penetrabilis & soporiferi , saponis amari : Qui probitatis notam adsignant omnimodam in aqua dissolutionem , admodum iij hallucinantur , sicuti in capitil serie ostensuri sumus.

Ii præterea qui re expensa , num Opium nostrum vulgare in usum venire debeat , vice lacrymarum quas Andromachus recipiendas jubar? Ac præterea , Num Opij nostri quantitas adaugenda sit , si hoc succedaneum sit , admiscere tamen solent in Theriacas dispensatione lubenter id quo fruimur , nulla prævia præparatione , iij sine dubio , meo iudicio ab Auctoris sententia devii fuere , ac quæstiones à se propositas in epte solvunt.

Absit ut *Andramacho* succensem , vel alijs , qui papaveris lacrymas absque ulla præparatione præscripsere ; cum enim puræ sint , licuit illas citra præparationem aliquam introducere : Eos vero quod attinet qui Opium legitimum plane in aqua dissolvi debere statuunt , nunquam illi intimam illius partium compositionem cognovere : Venia tamen digni sunt quod ars Chymica his ignota esset , ut & ratio diversas mixtorum substantias ab invicem secernendi .

Hoc autem constituto , Opij Lacrymas puras esse debere , Andromachi autem mentem fuisse ejusmodi ad usum advocandas esse , indagandum num Opium nostrum eadem puritate donatum sit ? Ac utrum quale nobis offertur depromere valeat vim ab Authore exoptatam ?

Arts Chymica utplurimum vitia interiora illius patefacit , deducendo enim Opium ad eam puritatem quæ in lacrymis desideratur , tertiam utplurimum partem sordium , aut partium inutilium detrahit : Quandoquidem ergo fæcibus adeo scatet , an Authoris menti confona præstiterit qui cujusmodi ad nos defertur in usum deducturus est ? Magna industria opus non est ad judicium ferendum , si tertia fæcum pars id inquinaverit , tertia parte virium Opij mutilam fore Theria-

cam : tertiam vero illam faciem partem omnino injuriam toti composite illaturam , nendum utilem fore ; Resarcendi ergo defectus gratia artificio separandas esse & repudandas ejusmodi facies , illis æquale pondus Opij , ad eam puritatem redacti quæ in legitimis lacrymis occurrit , substituendo .

Porro neque hoc loco , neque alijs usurus sum lamina ferrea calente cui Opium imponam , ut in auras faceat pars illius sulphurea : Neque idem in tenues taleolas dissecturus sum , illas instraturus scutellæ fistili vitreatæ depressæ , commissurus demum lento carbonum igni , torrefactus donec digitorum attritu friabiles sint , ac cuncti fumi sulphuris narcotici exhalant , sicuti nonnemo docet .

Ex mea enim sententia , pars illa sulphurea adeo necessaria est , & Andromachi menti tam consona tantoque studio in Opio ad cunctos usus quorum causa admittitur conservanda , ut qui segregare illam intendit ardui negotii rem suscipiat : Neque enim Natura frustra partem hanc resinosa & sulphuream indidit , cuius absentia Opium semicadaver efficeret : Sin eadem eodem tempore huic parti resinosa & sulphureæ aliam terrestrem & aquam adjunxit , eo demum fine id præstiterit ut comes illi esset & quasi frenum .

I. Ergo Opium , cum constare deprehendatur duabus præcipuis partibus homogeneis , simul cum partibus legitimarum lacrymarum , una videlicet resinosa , altera aqua ; ac præterea parte quapiam heterogenea , nempe facibus , indaganda sunt media per quæ accurate secernantur ab invicem .

Quo res ad votum succedat , duo diversa menstrua comparanda sunt , quæ utraque similitudine substantiæ conjungi valeant , ac dissolvere partem qua cum analogiam habent .

Aqua Opii substantia nullo negotio in aqua pura dissolubilis est , Opium in minimas particulas dividendo , ac imponendo Cucurbitæ vitreæ , Balneo Mariæ commissæ ; aqua , quoisque quatuor digitis emineat , super affusa : Tum Cucurbita Balneo Mariæ immittenda est , calore inter tepidum & astuantem medio excitato , per duas tresve horas illic detinendo , cooperta Cucurbita ventosa , apposita in modum Alembici coeci , utramque conjungendo luto ex amylo , charta superaddita : Exactis autem tribus horis , vaseisque decrustatis , decantetur liquor , in quo maxima pars portionis aquæ Opii dissoluta deprehendetur , qui per charta emporeticam calidus transmittendus est in infundibulum vitreum : Postmodum affundenda erit æqualis & nova aquæ quantitas Opij parti qui dissolutionem subterfugit , eadem Cucurbita excipiendo ; eidem iterum Balneo exponendo ad æquale temporis spatium ; iterumque inclinato

nato vase decantandus liquor, qui calide filtratus priori commiscendus utrumque adservando.

Partem Resinosam quod attinet, quæ in aqua disolvi non potuit, neque illi se adjunxit præ substantiæ dissimilitudine, huic optime & facilime cum Vini spiritu conveniet, sympathiæ ratione, ac eodem in Balneo dissolvetur, omnimode per chartam emporeticam una cum prædicto Spiritu calide filtrando, transmittenda, cunctis in Cucurbita superstibus fæcibus, aut in charta.

Postmodum utraque dissolutio filtrata conjungenda erit, ac Cucurbita vitrea mundissima excipienda, imposito illi idoneo alembico, commissurisque amylo & charta obductis, adaptoque recipiente etiamnum lutato, Balneo tepido abstrahendus erit spiritus Vini, prius proditurus, si libet adservandus: Demum referanda erit Cucurbita, effundendo quicquid illa continetur in vas fistile depresso, rite vitreatum, impoñendum igni carbonum moderato, eosque detinendum donec Opium in extracti solidiusculi substantiam deductum fuerit.

Opii hujusmodi præparatio optima est, iisdem facultatibus & qualitatibus pollutis quales in purissimis lacrymis desiderantur.

Qui scripto tradidere in scutella torrefaciendum esse Opium ad consumptionem usque integrum partis sulphureæ, iidem nequaquam metuere debuere ne postmodum, si paratum cum spiritu vini extractum fuerit, abductusque distillationis ope iidem spiritus simul quoque pars eadem sulphurea abstraheretur, quæ jam medio proculdubio vehementiore abducta est.

Argumentum illorum verisimiliter deductum fuit à vaporibus narcoticis, quos ex Opio eduxerunt, ope ignis immediati, nimio plus ab ipsis inspiratos, ideoque delirio proximum habendum ab iis qui artem profitentur, aut illius rudes neutiquam sunt: Argumentum, inquam, illorum non minus futile censendum quam præparatio erroris plena ab iisdem suscepta: Quo etiam vitio laborat assatio Nucis moschatæ pulverisatæ ad olei extractionem, Aut ustio cornu Cervivi in hujus præparatione: Cuncta enim hæ destructionum numero accensenda sunt potius quam præparationum.

Illud vero apud me ratum, ambas Tincturas, ea ratione conjunctas, si via quam indicavi teneatur, à Spiritu Vini nihil ex Opio consideratione dignum ablatum iri: Ac neque præcipitationem partis resinosa, aqua frigida Tincturæ, sper vini spiritum vini factæ affusa contingenter; Neque aliud quodvis lenius medium depurandi gratia, Opij ac conservandarum cunctarum utilium illius partium, oblatum iri.

Hoc etiam apud me constitutum, non modo ad Theriaces compositionem, sed quasvis alias Larvani gratia institutas præparations nullam huic Opio adsignatam anteferendam esse; nisi quis addita voluerit Extracta Castorei & Croci, vel similia, quæ tamen ad Theriacam necessario non requiruntur, quandoquidem eorundem simplicium substantiam illa complectitur.

Præparatio autem Opij à me tradita manifestum facit, si omnino requisita fuisset partis Sulphureæ Opij detrac<sup>t</sup>io, id leviori negotio, minorique partis aquæ dispendio licuisse: quandoquidem si nihil aliud quam Opij extractum intendas, aquæ affusæ beneficio, cui pars Sulphurea neutiquam sociam se datura est, prohibente scilicet substantiæ dissimilitudine, futurum est ut pars sulphurea fæcibus commixta remaneat, ac nihilominus elicere semper illam licuit, & in usum adducere, affuso vini spiritu; cum ab Opij afflatione (id quod nescio quo figmento præstandum credidere) absumpta per adustionem parte sulphurea, fieri nequaquam possit quin parte aquæ simul & semel maxima virium & utilium qualitatum parte spoliatur.

Imo lubentissime oblaturus sum illis qui Opij extractum optaverint parte resinosa destitutum, præparationem manibus meis institutam, ac juxta meam methodum; dummodo Opium crudum suppeditaturi sint: In laborum & sumptuum compensationem nihil præterea requiritur sum quam ut pars resinosa, in fundo vasis superstes, aut fæcibus commixta, mei juris fiet, quam satisfacturam existimo sumptibus & labori.

Eam in rem dicam, cum Sulphur Opij propria indole calidum sit & flammæ rapax, præcipuus autem sit author cunctorum Opij effectuum, admodum illos deceptos fuisse qui substantiam frigidam illi assignavere; vim autem narcoticam, qua præditum est, sobolem tantum esse qualitatum frigidarum illi nonexistentium; quandoquidem quotidie observare est vinum immoderatus sumptum soporem semper inferre, qui, ex communi omnium consensu, spiritui vini adscribitur, natura sua sulphureo & inflammabili, ac proinde calido.

Experimenta autem non semel à me facta de Opio, juxta meam methodum extracto, certum me fecere vim narcoticam, quam in Opio præsertim observari jubent, non principem esse, sed aliam magis arcanam subesse, quam à proprio sulphure mutuatur, videlicet scandi & compescendi motus omnes internos præternaturales; ac partes corroborandi, adeo ut postmodum magis idoneæ sint exserendis solitis functionibus: Nec miror Turcas Opium ad drachmæ unius pondus adsumere, idque crudum, cum in pugnam descensuri sunt, aut sus-

cepturi opus aliquod quod cunctarum simul virium concursum exposcat, quandoquidem ab Opio id sperare licet, præsertim in corporibus illius esui assuetis; Imo asserere audebo à me aliquando, curiositatis gratia, assumptum fuisse sex granorum pondus Extracti mei Opij, ac probe adnotasse somnum solito prolixorem non fuisse, quinque videlicet aut sex solum horarum; at tam insignem præcipue observari tranquillitatem, adeoque gratam, ut majore frui nunquam mihi licuerit; sed eodem tempore robur insigne accessisse deprehendi, habilemque me omnibus functionibus, excusso plane omni dormiendi desiderio: Sed præterea nequaquam dubito dozin multo majorem omnino impune mihi adsumere licuisse.

Id quod præterea omnino confirmatum habeo per experimenta recentissima, ab aliquot mensibus, in Viro constitutionis non adeo robustæ, annos nato trigintaquinque vel quadraginta, ingenioso & humaniorum literarum cultori; hic ex consilio Doctoris extranei, qui in Turcia diu medicinam fecerat, non semel sed saepius adsumpsit Extractum Opij à me præparatum, mihique familiari in usu, ter aliquando intra unius hebdomadis spatium; dozis autem semper fuit semidrachmæ, hoc est triginta sex granorum; Hominem sincerum novi, nec suspectæ fidei, ex proprio illius ore didici ab assumpta memorata semidrachma, hora somni, rite cooperto corpore, modo in dextrum, modo in sinistrum latus convolvendo corpus, illico subsequi somnum suavissimum & tranquillitatis plenum, comitibus insomniis gratissimis, neque tamen somnum solito prolixorem esse, hoc vero soluto vires non mediocres corpori accedere asserit: alvum totis viginti circiter quatuor horis adstrictam esse, postmodum levem diarrhoeam subsequi, per quam à viginti prioribus horis ad triginta usque novies aut decies dejicit, sine torminibus aut conatibus, exactis vero horis quinquaginta operationem definere, Sin iterum adsumpsit, eosdem semper se experiri effectus.

Hoc nihilominus non raro ab eodem adnotatum, si forte corpus non accurate congereret lecto se committendo, aut supino si corpore somnum capefferet, non eadem se tranquillitate frui quam si alterutri lateri incumberet, ac stragula plura imponerentur; tunc insomniis molestis & terrificis se premi, quoad cæteros effectus dissimilitudinem nullam adesse.

Observavit idem si ante viginti quatuor priorum horarum terminum Enema laxandi vi prædictum injectum fuerit, vomitum bis vel ter repetitum succedere, postmodum reserari alvum ac excretiones subsequi: Sin vero clyster similis injectus fuerit post primas viginti quatuor horas,

vomitum nequaquam accidere, solamque alvum laxari.

Id quoque à Doctoribus nonnullis, fidei non suspectæ, compertum, & assertum se sàpissime ipsosmet adsumpsisse; frequentissime autem ægris suis præbuuisse Opij extractum in uno eodemque morbo, non quidem tam insigni dozi, nunquam vero soporem insolitum animadvertisse, atvero insignem tranquillitatem, commoderationemque omnium motuum internorum, ac fluxionum quarumvis cohibitionem: Semper vero adnotatam in iis qui ingeferant singularem totius corporis corroborationem; ex illis vero nonnullos congestos esse de tentigine insolita.

Id vero consonum est relationi à me factæ inter Turcas, præter cæteros usus, hunc familiarem esse ad libidinem invitandam, ac seminis augmentum procurandum, id quod opinioni meæ nequaquam dissentaneum est: Medicorum est hos diversos effectus penitus rimati, revera disquisitione & accurata expensione dignos ad causæ investigationem.

Sed reditu ad Theriacam factò, satis est adsumpsisse octodecim uncias extracti Opij, uti dictum præparati, succedanei lacrymarum Opij, ab Andromacho præscriptarum.

## C A P U T X V .

## D E R O S I S .

*Inter hortenses Rosa munda Flores  
Rubra duntaxat tibi sit petenda,  
pura siccetur, prius & subalbas  
rejice partes.*

**N**ulla compellit necessitas ut huc inferam Rosarum innumeras species, ab authoribus memoratas, quarum pleræque in hortis quibusvis obviæ sunt: Satis est novisse quam speciem inter omnes elegisse convenit, in hac compositione admittendam, ac quæ præparatio illi debeatur: Rubræ, vulgo dictæ Provinciales, cæteris omnibus species bus antecellunt, hasque Author adsumendas præcipit, utpote cardia ca vi præ cæteris præditas, ac substantia compactiori, facultatis propriæ cæteris omnibus tenaciores.

Neque porro necesse est ut Tractatum hunc auctiorem faciam additione descriptionis earundum, uti neque fruticis è quo prodeunt: Ni miopere familiares sunt ac notiores omnibus quam ut à me depingi debeant

C A P . X V I D E R O S I S , & D E I R I D E . 59

debeant : Nosse satis est legendas illas esse una hora vel altera ab exorto Sole, cum adhuc gemmæ turgent, nec adhuc omnino explicatae sunt: Ac quantum licet præferendas priores gemmas ; si enim extrema tempestate prodeentes expectaveris , ut plurimum hæ minores sunt , minusque succi plenæ, ac proinde non adeo efficaces.

Forficibus deinde resecanda & secernenda pars gemmatum rubra ab albida , quam Unguem vocant , ab hac compositione repudianda: Quamprimum quoque pars illa rubra exsiccanda, radiis solaribus intensissimis exponendo , ac illico exsiccata in lagenam vitream conjicienda : Cera accurate obturanda, adeo ut nullus aëri ingressus pateat , à quo corruptio illarum succederet, imo vermes generarentur.

Quidam præcautionis majoris gratia Rosis, ea ratione exsiccati, ferri aliquot frustula commiscént prohibendæ causa vermium originis ; quæ ratio nequaquam improbanda est, tutius autem fuerit aërem introitu arcuisse.

Hæc Rosarum pars rubra rite exsiccata , ac probe conservata , quovis tempore ad Theriacæ compositionem venire potest , non fecus ac ad quasvis alias , Rosas excipientes , toto anno coloris elegantiam servatura.

Nonnulli Rosas in umbra repositas exsiccant , at vero experientia mihi notum , quam fulcit ratio, has & præstantia & elegantia inferiores esse iis quæ Solis radios intensos passæ sunt: Cum enim illarum substantia non parum compacta sit ; humor autem superfluus sat cito in umbra non dissipetur , ab hoc inficitur, & obsoletæ fiunt à diuturniore mora, ritorque eodem tempore recedit: Id quod nequaquam metendum si æstuanti Soli expositæ fuerint, dummodo statim ac exsiccatæ sunt illi subtrahantur, nec tamdiu detineantur quoisque nigrescant , ac veluti torrefiant.

---

C A P U T XVI.

D E I R I D E .

*Iridis radix , variante flore  
Tusca laudatur , redolens , acuta ,  
sit carens rugis , granis , atque in omni  
candida parte.*

**I**RIS ubique notissima est: Duæ illius constituuntur species , unica domestica , altera agrestis : hæc iterum sub se alias complectitur variis in locis differentias.

Nomen desumpit Iris à floribus variis Iridis coelestis colores referentibus : Hortensis flores gerit intensius cœruleos , minusque cæteris varios ; radix autem illi crassior & succulentior quam agresti , at vero odoris non adeo acuti , & viribus multo hac inferior plurimis nominibus anteferenda.

Ex Sylvestriū genere , Illyrica , & Tusca , aut Florentina , omnium potissima habetur ; Conspera habet plurima filamenta , subrufo cortice donata , interiori vero parte admodum candicat.

Eligenda est succi plena , nequaquam rugis distincta , candidissima , admodum compacta , gravissima , à fibris liberata ac cortice : quæ linguae admota leviter illam vellicet , aliquantum subamara , odoris suavis & gratissimi ; ad violæ odorem plurimum accendentis.

Radix potissima plantæ pars est , quæ sola in compositionem venit : Cum vero mundata ad nos deferatur , sola sufficit probissimæ electio ad dispensationem ; ac per cultrum derasio , si quæ pars forsan obscuro colore aut fusio infecta fuerit .

## C A P U T XVII.

### D E SVCCO LIQVIRITIÆ.

*Ex Glycyrrhisa madida , recente ,  
Succus extractus niger & suavis ,  
purus à filtro petitur , levique  
coctus in igne .*

**P**LANTA quam Latini Liquiritiam , aut Glycyrrhisam , hoc est dulcem radicem vocant , in Gallia notissima est , imo plurimis in locis in hortis excolitur , optima vero omnium , insignique copia , ex Lusitania ad nos advehitur .

Sola radix ad Medicos usus recipitur , cuius usus non minus quam cuiusvis altetius medicamenti in Gallia familiaris est : Eapropter descriptio- ni illius immoraturus non sum , solummodo traditurus legitimam præparationem succi , impropriæ dicti , Liquiritiæ , qui revera nihil aliud est quam Extractum .

Hoc

Hoc loco vero monendum inconsulto illos agere qui in hanc dispensationem succum liquoritiae admittunt variis in Gallia Urbibus preparatum , aut Hispaniae ; qui succi , cum non multum majori pretio vaneant quam ipsa Liquiritia ; opinionem proculdubio faciunt, extranei quidpiam accessisse , à quo molis incrementum ; quandoquidem optima ac recentissima liquoritia vix quartam partem ponderis sui extracti de se promere soler.

Cum vero ut plurimum gummi Tragacanthum & Arabicum ad augmentum ac consistentiam conciliandam succo liquoritiae , vulgariter sic dicto, usurpari soleant, hoc incrementum locum habere potest etiamnam in aliis casibus , ac nominatim in sistendis fluxionibus in pectus irruentibus, dummodo preparatio & commissio sincera & concinna fuerit : Hoc vero loco, cum sincerum Liquiritiae Extractum requiratur, circa quodvis additamentum, Pharmacopœi erit officij Extractum preparandi rationem alteri non commisisse , quod hac ratione ipsem præparaturus est.

Eligantur Liquiritiae radices quam recentissimæ , succi plenæ, interna facie admodum flavæ ; haec accurate perpurgataæ , ab omnibus sordibus liberataæ , crasse incidentur , postea contundantur & optimè cōterantur in majori mortareo, hinc excipientur vase fictili rite vitreato, superfundatur illis octuplum aquæ fontanæ purissimæ pondus , superpositoque vasi operculo , committatur id igni modico , adeo ut medius sit calor inter tepidum & æstuante : fiat maceratio beneficio ejusdem ignis per duas vel tres horas ; quibus elapsis , infusioni lenis ebullitio concilietur , coletur & exprimatur Liquiritia per telam validam ; Expressum magma in idem vas iniciatur , illique sextuplum recentis aquæ pondus immittatur , iteretur infusio , eodem ac ante ignis gradu , per bihorium integrum , præmissoque levi fervore , fiat iterata totius collatura & expressio ; commisceantur ambo hi liquores, ac calentes per manicam mundissimam transmittantur , vel per chartam emporeticam , ac in idem vas mundissimum conjiciantur , vel vas fictile optimè vitreatum , paulatim ut humiditas superflua in auras facescat curando, igne adhibito mediocre , spathula materias per vices versando , lignea , argentea vel eburnea , potissimum sub finem , quo tempore præsertim accurate regendus ignis , ne scilicet comburatur Extractum , illud ibi eousque detinendo donec solidiusculam consistentiam adipiscatur : Tum vase ab igne remoto , Extractum pene refrigeratum è vase effundendum , ac in Faventino recondendum , vel alio rite vitreato convenientis magnitudinis , aut in vesica inversa , loco serico adservandum , non solum Theriaces gratia, sed & ad cæteros quovis usus: Possunt & ex hoc magda-

42 CAP. XVIII. & XIX. DE BUNIADE, & DE SCORDIO.  
leones aut Pastilli efformari pro libitu, super charta expansi, cribro im-  
posita exsiccandi.

---

## C A P U T XVIII.

### DE BUNIADE.

*Bunij quæres tenerum, rubescens  
Semen in campis, siliquis opertum,  
Crassus, gustuferiens palatum,  
laeve, rotundum.*

**C**Ensuerunt plurimi semen Napi domestici pro Buniadis semine usurpandum; at etiamsi inter hæc parum intersit discriminis, vel quoad formam vel vires, ex mea tamen sententia Bunias agrestis domestico præferri debet, ex norma hac genericā, per quam docemur plantas, earumque partes, sponte oriundas, excultis in hortis præstantiores esse.

Buniadis Sylvestris plurimæ sunt species, quarum potissima censeri debet illa cuius semen maxime accedit ad semen Napi domestici; quod videlicet crassiusculum est, rotundum, coloris ad purpureum fuscum vergentis, saporis acris & mordacis.

Semen hoc ante perfectam maturitatem non colligendum, quod à siliquis liberandum; id quod nullo negotio perfici poterit, si postquam planta integra semine suo prægnans ē terra evulsa fuerit, id Soli exsiccandum expositum fuerit; exsiccatæ autem plantæ siliquæ manibus attenuantur, supposito linteo mundo; sublata vero parte plantarum crassiore, chartæ scapo exceptum, tanquam vanno, excutiatur semen, siliquarum particulis commixtum, quo modo hæ abscessuræ sunt superstite in charta semine, quod adservandum aut dispensandum si usus postulet.

---

## C A P U T XIX.

### DE SCORDIO.

*Scordium, ferram referens figura,  
Allij necnon perhibens odorem,*

*pallydis,*

*pallidis tectum foliis rubente  
Flore venustum.*

**D**Imissa illorum sententia qui Alliariam pro Scordio adsumunt, id pro comperto haberi velim verum Scordium vulgare esse, & notissimum in Gallia, Plantua est exilis, molliuscula & tenera, Caule quadrato, cuius folia ex viridi pallescunt, longiuscula, in ambitu ferrata: Flos admodum est exiguis, coloris cœrulei pallidi, ad rubrum vergentis, foliis immixtus per caulis longitudinem; præsertim circa cacumina: Sapore amariuscuso, Odore ad allium accedens, sed moderatiore, padulosum quiddam referente.

Scordium & in summis montibus natales habet & in vallis sed non nisi in locis uidis nascitur: Æstate floret, collendum cum maxime floridum est, sereno tempore, circa plenilunium: Legenda plantæ cacumina, ex quibus fasciculi conficiendi, charta munda obvolvendi, loco patente exsiccandi, sed extra Solares radios, quam citissime fieri poterit, ad usum recondendo.

*Galenus*, plurimique alij Scriptores, Scordium Cretense prætulerere, quo proculdubio nobis esset confugiendum nisi Gallia affatim nobis exhiberet; ac istud obtineret quascunque qualitates & vires in Cretico inesse perhibentur, quarum præcipuæ sunt eximie cardiaca alexiteria, lumbrifuga & putredini infesta.

## C A P U T X X.

## D E X Y L O B A L S A M O.

## D E C A R P O B A L S A M O.

## E T O P O B A L S A M O.

*Balsami lignum, tenerum, subalbum,  
Cortice est tectum rubeo & virente,  
obstum nodis, levé, surculosum,  
acre & odorum.*

*Flos cadit, surgunt calici tenello  
subditæ Baccæ, tunicis refertæ*

44 DE XYLOBALSAMO, DE CARPOBALSAMO &c.  
in quibus semen latet, atque succus,  
asper, odorus,

Manat ex ramis liquor arte cæsis  
estque Resinæ similis, subalbus  
Arboris tantum, vel Opos peritis  
nomine notus,

**C**um ægerime occurrant legitimæ Balsami partes, inde nata est opinionum varietas circa illas, adeo ut ex quorundam sententia, nullæ omnino occurrant; Id tamen apud me ratum Balsami arborem neutquam perisse, si maxima ex parte interierit in Valle Hiericunthis, aut in Galaad, Arabiam tamen felicem illius feracem esse, at non ea copia quæ satisfaciat desiderio: Quo fit ut cum rariſſima sit, cunctæ illius partes cariſſime veneant, adulterio & mangonio admodum obnoxiae, præſertim Opopbalsamum, pars totius plantæ exquisitiſſima.

Etiamſi vero penes me fit Opopbalsamum in quo deprehendere licet cunctas præcipuas notas ab authoribus adscriptas, quod etiam in dispensatione à me facta exhibui, in ea tamen fui sententia satius esse adhærere prætantissimis authoribus, ac ſubſtituere Oleum expreſſum è Nuce moschata(de cuius prætantia omnino mihi conſtat, ipſem etiā enim puriſſimum elicui) quam in uſum adhibere liquorem adulterio admodum obnoxium, in quo revera facillime ſucum facere licet.

Attamen daturus sum veriſſimas & certiſſimas notas partium Balsami ad Theriacam noſtram experiti, ſcilicet, Ligni, Liquoris & Fructus, nomine Xylobalsami, Opopbalsami & Carpoſbalsami inſignitorum.

Arbor Balsami ferax fat humilis est; Lignum autem ex ea deciſum in alias regiones transferendum, quod Xylobalsamum vocant, exiguis tantum conſtat ramusculis, fragilibus, rectis, nodis inæqualibus obſitīs, cortice exteriori facie rubefcente, interiori virescente, cui ſubjacet lignum, ſubcandicans & medulloſum, quod fractum odorem emittit gratum, admodum ad odorem Opopbalsami accedentem.

Iſtud Xylobalsamum unum eſt simplicibus Trochifcos Hedychoſi ingredientibus, cui ſubſtituimus verum lignum Aloës, potius quam Santalum Citrinam contra quorundam mentem.

Balsami Fructus, Carpoſbalsami alias nomine inſignitus, magnitudine, figura & colore admodum refert Terebinthi fructum; Plantæ adhæreret mediante exiguo calice, quem contegit tenuis tunica, fulvi coloris in rubrum

rubrum vergentis : Interius subsunt aliae membranae crassiores, in quibus delitescit semen, succo flavo & melligineo refertum, saporis amarusculi & acris, Odoris grati & ad Opopobalsamum proxime accendentis: Rugas contrahit, aridum fit & vetustate exsuccum, sed diutissime saporis & odoris maximam partem pertinaciter tuetur : Huic Opopobalsamo Cubebus substituimus, unanimi omnium authorum consensu.

Liquor Balsami, quem *Opopobalsamum* vocant, Resina est liquida, flavescentia, odore à Terebinthina vix dissimili; at multo suaviore; Ejus sinceritas deprehenditur si gutta una aquæ, vase exceptæ, infusa fuerit, nam ad momentum temporis delitescit, sed illico sursum evehitur ac super aquæ superficiem expanditur pelliculae albæ formam referens, quam paulo post cultelli cuspide colligere licet à concretione, exuto colore flavo, qui in album abiit.

Opopobalsamum, lagenis conclusum, recens ad nos allatum, adeo penetrabile est ut vix quisquam odoris vehementia & vehementia ferenda par sit: Pars summam lagenarum partem occupans perpetuo liquidior est, fluidior & purior, quæ à reliquis secreta, mutato vase, suavissimum odorem illico adipiscitur, Pars media bonitate illi inferior est; in fundo autem sita multo minoris adhuc præstantiæ.

Guttula Opopobalsami puri panno infusa illic subsistit, neque diffusa neque illum ulterius subiens, ac ope aquæ tepidæ potest abstergi, vel affricando digitis si exsiccata sit.

Indicum quoque est præstantiæ & puritatis cum gutta unica lacri infunditur, nam præterquam quod huic commixta, ac specie tenuis concorporata, sursum statim effertur & supra superficiem expanditur partem maxime sibi vicinam lacri coagulans.

Opopobalsamum tribus modis educi potest, Primus, & omnium optimus fit per plantæ incisionem; Secundus per decoctionem ligni & fructus, Tertius autem distillationis ope; Cæduntur rami arboris Balsamiferæ, per caniculam, Opopobalsamum autem inde elicitum sincerissimum est & legitimum, cunctis aliis præferendum, utpote maxime genuinum, odoratissimum & efficacissimum.

Succus per decoctionem ligni & fructus eductus, medium præstantiæ obtinet locum: Postremus, cæteris deterior, is est quem per Retortam comparamus, aut per Refrigeratorium, aut Vas capitinis Mauri nomine donatum, quippe qui inter distillandum maxima parte odoris & præstantissimarum virium exuitur.

Cunctæ Balsami partes acrimoniam quandam obtinent, odoremque fere similem efferentes, nec viribus multum inter se sunt dissimiles:

Opobalsamum autem odore plurimum superat , & viribus, lignum & fructum :

Opobalsami, Xylobalsami & Carpobalsami vires adeo eximiæ censemuntur, tum adversus Serpentum aliorumque animalium venenatorum virus , imo & venenorū, tum & ad curationem vulnerum , sexcentorumque morborum internorum & externorum , ut non nobis molestum esse non debeat quod copia illius non suppetat , atque ad antiballomena confugiendum sit , etiamsi satius sit illis frui quam partes dubias Balsami adsumpsisse.

Lignum Aloes , Xylobalsamo substitutum in Trochiscis Hedychroi, præparatione nulla eget ante dispensationem, sed selectissimum in usum venire debet , coloris fusci ad viridem declinantis,grave,densum , compactum & unguinosum ; suavem odorem effundens flammæ admotum; sud amariuscum sit , acriuscum ori inditum.

Oleum Nucis Moschatæ , Opobalsamo substitutum, ratione sequenti præparati debet : Accipe, exempli gratia , Nucum Moschararum succulentarum, gravium , lœvium , non rugosarum , libras duas ; conterantur , & per incerniculum seraceum rarius trajiciantur , excipiantur capacitate integra lancis stanneæ ; admoveatur lancis sic oppletæ pars superior cibri setacei ; Cibrum istud proportione respondeat lanci , adeo ut hæc subire possit Cibri circulum: Invertatur tunc lanx, adeo ut subditum habeat cibrum , manu admota hujus fundo, fulciendi gratia , procurando ut pulvis Nucum Moschararum cibri dorso incumbat , sed semper infra & intra capacitatem lancis : Imponatur cibrum pelvi dimensæ, aquam ferventem continent , adeo, ut pulvis Nucum Moschararum excitatum ex aqua vaporem excipiat , sinendo per semiquadram horæ, vel donec manus admota lancis partis convexæ calorem ferre nequeat , indicium aquæ vaporem universam massam pervasisse.

In parato interea fit sacculus ex tela valida & compacta , cuius suturæ solidæ sint, ejus magnitudinis qui excalefactum pulverem comprehendere queat , ac parte superiore firmo nexu adstringi ; interim hoc cum Pulvis exceptus fuerit , saccus detineri debuit supra partem lancis convexam quamdiu subditum habuit ignem : Seorsum quoque excalafacienda fuit lanx , seorsum etiam torcularis laminæ ; statim vero ac manus amplius ferre nequierit ardorem convexæ partis lancis , subtrahendum erit cibrum aquæ ferventi incumbens , ac quam citissime ac diligentissime fieri poterit pulvis sacculo immittendus , arote orificio iilius constringendo, ope fili crassioris , proxime pulverem ; altera manu sacculum pulvere oppletum tenendo suspensum supra ignem fornacis ,

fornacis per exiguum id intervallum, conservandi gratia pulveris caloris : Illico inter duas laminas immittatur sacculus, probe calentes si curi præmonuimus, & hæ torculari celeri & valida manu exprimendo ; statimque proditurum est Oleum limpidissimum, coloris intense flavi & odoratissimum, citissime concrescens, colore postmodum adepturum flavum ad rubrum vergentem.

Id vero perspectum esse debet observata hac methodo è Nucibus Moschatis eductum iri quicquid probi continent, nullo virium detrimento, neque minimæ particulæ illarum substantiæ jactura ; id quod alias declinare non liceret si alius caloris modus in usum advocaretur quam Balnei Vaporosi.

Absit vero ut mihi probetur absurdus methodus quam non nemo inire solet ; vel ut cuiquam author sim, ut torrefiat pulvis Nucum Moschatarum in sartaguncula supra ignem carbonum, quod illi in more est : nam præter dissipationem partis maxime volatilis, & præstantissimæ Nucum Moschatarum, dimidia tantum olei pars expectanda est, id quod ipsem experitur ; quod universum ope meæ methodi elici potest : adde quod dimidia illa pars colore admodum obscurum contrahit, ac, ut est in adagio, quasi frixum butyro nigro, unde destruccióne potius metuenda quam præparatio expectanda.

Cubebæ, Carpopbalsamo substitutæ, Piperi nigro admodum similes sunt, pedunculum si exceperis ; Odor illis est acer & aromaticus : Grana extremam maturitatem adepta elegantur, detracto pedunculo, forficum ope, citra ullam aliam præparationem.

## C A P U T X X I.

## D E CINNAMOMO.

*Fertur ex Ceylan leve Cinnamomum  
subrubrum sumes, penetrans, acutum  
Sit recens, longum, cerebroque gratum  
ffiret odorem.*

**N**On omnibus Authoribus, qui de Cinnamomo scripsere, accurate id cognitum fuit ; tam varia enim de hoc protulerunt, adeo confuse, ut qui illorum scriptis fidem adhiberet, vix medicamentum, nobis tritissimum, dignoscere liceret, magisque arduum

foret illius notitiam consequi quam cunctarum legitimi Balsami partium, de quo modo verba fecimus.

Batavi, & Lusitani neoterici, nebulam oculos nostros perstringentem detraxerunt; eorumque opera multa nobis manifesta facta sunt quæ prius dubia & obscura erant, enodatu non minus difficilia quam Ethnicorum oracula: Batavi, *inquam*, illi & Lusitani, cum multarum regionum in Indiis domini sint, in quibus Cinnamomum sponte oritur, non secus ac Caryophylli, Nux moschata, Piper, multaque alia Aromata, quæ dubia erunt clare aperuere.

Hoc ergo tanquam compertissimum habeatur, id quod vulgari nomine hodie dicimus *Canellam*, verum esse antiquorum Cinnamomum: Optimum profert Insula Ceylan, in parte Indiarum Meridionali sita, cuius ambitus ducentorum est milliarium, figura ovali donata, ex Cosmographorum descriptione: Elegantissima est hæc Insula, pluribus montibus decora, ingentis arborum numeri feracibus; Planitiebus quoque amoenissimis & vastissimis prædita; insignibus fluijs & fontibus irrigua, plurimos habens incolas, Avibus, Quadrupedibusque ditissima, innumerorum fructuum sponte nascentium fax, ac præsertim multorum aromatum; nominatim arbor quæ Cinnamomum profert primas tenet: Tanta est illarum copia, tamque facile excrescunt, ut non solum plurimæ eæque ingentes deprehendantur *Sylvæ*, sed etiam incendio ex temporum intervallis arboreæ cremare necesse sit prohibendæ gratia luxuriei.

Arbor quæ Cinnamomum profert magnitudine & proceritate ad eam accedit quæ Mala Auruntia suppeditat; plurimos gerens ramos, oblongos, rectos, crassos & enodes, miro ordine dispositos; è quibus iterum exiliunt alij ramusculi, quos decorant folia sat lata, non absimilia illis quibus donatur Lauro cerasus, quæ bina semper copulata peduncolorum ope adnectuntur; ac in sui initio paulo latiora in acumen desinunt, tribus quatuorve nervis, in longitudinem exporrectis, sicuti in Folio Indico donata.

Ex his ramusculis emergunt plurimi flosculi, albi & odorati, quos subsequuntur quidam fructus, magnitudine & forma Olivarium, initio viridescentis coloris, sed qui maturitatem adepti cum pelluciditate nigrescunt.

Ex his Fructibus, vel sponte, beneficio caloris Solaris, vel artificialis, exstilla liquor subviridis acer, amarus & oleagineus, sapore & odore illum referens, qui artificio ex Cinnamomo educitur, quo tamen in omnibus multum inferior est.

Cinnamomi lignum sapore & odore exutum est, vim totam præcipuam in corticem transfundens, qui dum recens est duplicitatis speciem præbet, in superficie subcineritij coloris, odoris admodum penetrabilis & aromatici, interiori parte Cinnamomi vulgari colore donatus; Imo tunc temporis in binos cortices divisibilis est, colore discrepantes; una vero si exsiccationem passi sint, arctissime cohærent, simplicemque non duplicum corticem referunt, cineritio colore per exsiccationem in illum quo se nobis exhibet transeunte.

Hoc vero observatione dignum Cinnamomum, recens ab arbore detraictum, minimum odorem suppeditare, per exsiccationem sed accedit; cui perfectio trimestri demum ab comparatur illa accedit; Si cortex cineritius, quamdiu recens est demptus fuerit, illi subditus lævorem conservat: Diffecatur hic cortex in oblongas laminas, Soli, ut exsiccantur, exponendas, quo pacto fulvum colore adipiscitur & in formam arundinis se contrahit: Cortice spoliata arbos non ante triennium exactum recenti induitur, priori nequaquam detriore.

Loci incolæ ex radice succum Camphoræ vix dissimilem extrahunt.

Cinnamomum autem, vel Canella, sapore præditum esse debet acerrimo & suavissimo, sicuti & odore; fulvo præditum colore ad rubrum vergente, illoque vivo: Cortex qui tenuissimus, & maxime aromaticus, idem cuicunque alijs præferendus, citra ullam præparationem ad compositionem admittendus.

## C A P U T   X X I I .

## D E   A G A R I C O .

*Agarus verum dedit amnis olim  
nomen huic fungo: levis esto, amarus,  
Candidus, rarus, tener, atque toto  
corpore purus.*

**A**garicus excrescentia est, fungi instar pluribus arboribus adnascens, vetustioribus præsertim illarum truncis, ac crassioribus antiquissimisque ramis: Sed præterquam quod non quævis arbor legitimum Agaricum suppeditat, ex duabus autem speciebus, quas constituant marem & foeminam, prior ad usus Medicos inutilis est,

50 CAP. XXII. & XXIII. DE AGARICO, & DE MYRRHA.  
præsertim ad Theriacam cuius compositionem suscipimus, posterior au-  
tem, scilicet fœmina, admittenda; sciendum etiam arborem, quam vo-  
cant Laricem, optimum suppeditare, in quo quærendus veniat Aga-  
ricus.

Etsi porro Sarmatia, atque in hac Provincia, Agaria dicta (ob fluvium  
Agarium cuius aquis irrigatur) celebris sit proventu & præstantia A-  
garici, atque etiamsi hodierna die adhuc suppeditet, ideoque sit illustris  
ab assumpto nomine Agarici, vel illi communicato; aliunde tamen, ne-  
que inferiorem, nobis comparare datum est, præsertim ex montibus  
Tridentinis, quinimo & ex excelsis Delphinatus montibus, Alpium no-  
mine antiquis venientibus.

At vero natale solum parum novisse interest, hoc potissimum requiri-  
tur ut optimus eligatur, deteriore repudiato; Agaricus Mas ut plurimum  
flavescit, solidus est, compactus, gravis & tenax, quoad omnes notas ab  
Agarico qui Foemina dicitur, plane dissimilis, qui modo rotunda figura  
se exhibit, modo oblonga, modo crassum & magnū, modo mediocrem,  
modo minimum: qua in re Agaricus mas cum fœmina consentire quoq;  
potest, nec non quoad superficiem, quæ in utroque fere subcineritij co-  
loris: Agaricus autem fœmina donatus ex substantia albissima, rarissi-  
ma, levissima, admodum friabili.

Eligantur majora fragmenta, illis cultello demendo tenuissimum corti-  
cem, cui aëris injuria obscurredum induxere colorem, à diutina Agarici in  
arbore mora: Sin dempto cortice substrata pars interius candida fit, sub-  
stantia prædicta pura, rara & levi, ubique friabili, sapore, ori admota, pri-  
mo subdulci, sed statim admodum amaro, odore valde penetrabili, cere-  
brumq; illico feriente, in usum veniant, & admittantur tuto fragmenta  
his probitatis notis prædicta, omnino essentialibus; neq; de alijs sollicitu-  
m̄ effu oportet nulla superaddita præparatione: Inutile enim est Trochis-  
cos concinnasse, vel triturationis gratia, vel correctionis, quandoquidem  
perfectionem hæc in ultima Theriacæ præparatione consequutura sunt,

---

## C A P U T   X X I I .

### D E   M Y R R H A .

*Myrrha confractis lacrymis dat ungues  
candidos, nares fecit, Esto pura,  
concolor, mordax, levis & rubescens,  
pinguis, amara.*

**A**uthorum sententiæ de Myrrha non ubiq; consonæ sunt, tum ratione soli natalis, tum ratione arborisortum illi præbentis, quinimo & ob varias illius species : Plerique tamen consentiunt sobolem illam esse proceræ arboris incisiones passæ ; Eam autem quam Trigloditarum regio profert optimam omnium habendam.

Myrrha Gummi est resina, quæ recens subviridis esse debet, ad rubicundum colorem vergens, crassa, odorata, acer, mordax & amara, fracta autem exhibere interius maculus albantes, quasi ab unguibus inflictas; quoad cætera colore ubiq; æqualis, pura & nitida, non nihil pellucida sit.

Etsi porro nonnullorum opinio sit legitimam hanc Myrrham consequi arduum esse, imo impossibile, aliud tamen omnino sentio, quandoquidem in compositione meæ Theriacæ oblata fuit non minus elegans & sincera quam quæ modo descripta est; Cujus etiamnum non mediocris apud me superstes est portio, probitatis omnibus notis insignita, adeo ut de præstantia & sinceritate nullus supersit scrupulus.

Illud equidem admitto omnem Myrrham, quam Materialistæ venalem exponunt, legitimis conditionibus destitutam esse, id vero apud me ratu à vetustate, aut temporum injurijs, dum arbori adhuc inhæret, vel in Apothecis, pinguedinis partem absumptam una & virium esse; Utut vero obsoleta sit & emarcida, probitatis tamen quasdam notas retinet, potissimum autem amarorem, cum colore ad rubrum vergente, unguium quasi vestigia, ac odoris quo donata est à Natura partem: Neque id mirum, si enim cadavera à corruptione vindicare apta nata est, proculdubio & quodammodo se tueri valet adversus omnimodam sui destructionem. Quæ vero idoneo tempore collecta est, cui vis nulla illata, neque à Sole, neque ab imbris, ad nos autem utcunque recens assertur, tanquam legitima perpetuo censenda est, dotibus requisitis insignita.

Myrrham quod attinet, quam Evangelistæ tradunt Domino nostro à Magis, ex plagis Orientalibus venientibus, oblatam fuisse, vix verosimile est eandem esse quam modo descriptimus: Etsi vero forte quis suspicatus fuerit Myrræ eam speciem fuisse quam plurimi Authores Myrrham Staeten vocant, ac liquidam stillare aiunt ex incisa arbore, non secus ac Myrrham vulgarem, sapor, & virosus odor utriusque Myrræ, palam faciunt aliud quidpiam suavius à prædictis Magis oblatum fuisse, quin potius vel Storacis lacrymas, aut Tacamahacam sublimem, aut Opobalsamum, vel aliud quodpiam Gummi aut Resinam odore eximio præstantem rarioremque, forsan nobis ignotam.

Myrrha nostra nulla ante dispensationem indiget præparatione, satis est quam recentissimam adsumpsisse, cujus lacrymæ purissimæ sint, sed & probitatis omnes adsignatas notas præ se ferat.

## CAPUT XXIV.

## DE COSTO.

*Ex tribus tantum celebratur Albus  
densior Costus, penetrans, acutus,  
Vergit ad buxum, gravis atque dulcis  
jungit amarum.*

**E**X tribus Costis ab Authoribus traditis, Arabico nempe, Indico & Syriaco, unicus tantum hoc tempore nobis occurrit, in quo nihilominus optimæ notæ, quæ in tribus requiruntur, obviæ sunt; Quo fit ut nonnulli illum pro una specie usurpaverint, alij pro alia; Ex mea sententia cuncti Costi unius ejusdemque plantæ radix censendi sunt, variis in mundi cardinibus nascentis: Imo forte contingit ut Costus, pro variis ejusdem regionis locis, aliam atque aliam induat formam, colorrem & saporem, pro varia soli indole, è quo alimentum adsumpsit, sicuti id in tritico & racemo observare est, ac quovis alio plantæ genere; cui terra plus aut minus humida, plus aut minus pinguis aut arida, magis aut minus montuosa, non modo hanc vel illam formam impertitura est, sed etiam alium atque alium saporem, aliasque vires.

Costus ad nos delatus, radix est sat crassa, succulenta, pollicari fere crassitie, majori, quandoque minori; Cum vero integra ad nos non transmittatur, longitudo illius nequaquam definiri potest, longissima autem rarissime semipedalis est: Color candicans est ad buxeum accedens: Sapor dulcedinis & amaroris particeps, una cum levi acrimonia, cæterum aromatica vi & odorata perfusus est Costus, Cum ab omnibus ad Theriaces compositionem, citra controversiam admittatur iste Costus, ideo pro legitimo meo iudicio habendus est.

In Materialistarum apothecis alia quoque Costi species occurrit, qui nihil aliud est quam arboris cuiusdam cortex, cineritij coloris, exterius asper & inæqualis, fissuris per longitudinem & transversim divisus; interiorius autem candicans, mediocriter crassus, sed Cinnamomo paulo magis, quod forma quodammodo refert; at vero eximia vi aromatica imbutus, sapore & qualitatibus ad legitimum Costum accedens.

Postremus hic *Corticosi* nomine donatus est; etiamsi vero efficaci vi summa præditum esse non dubitem, nihilominus cum cortex sit arboris, neque legitimi Costi formam gerat, is qui à me fuit descriptus adfus-

adsumendum, postremo hoc prætermisso, neutquam dispensando, aut in Theriaces compositionem advocando, nisi genuinus defuerit, quia me quoque admissus, eligendo quam recentissimum, succi plenum, ac notis à me traditis insignitum. Prius tamen expurgandus est, ac à cunctis fardibus apice cultri liberandus, uti & à cæteris particulis quæ à veræ radicis conditione absunt.

## C A P U T X X V.

## DE CROCO.

*Sit recens noster Crocus, atque mundus  
Purpuræ lumen referat colore,  
impetat linguam, cerebrum citoque,  
tundat odore.*

**N**on absque ratione Authores locum origini plantarum maxime idoneum designavere, ac observavere præparationem qua, qui illas colligunt, donare solent: Eo innixi fundamento modo Irudem Illyricam, aut Florentinam prætulere; modo Petroselinum Macedonicum, modo Valerianam, aut Phu Ponticum, modo Dictamnum Cretensem, & sic de plurimis aliis.

Nec defuere ijdem Croco locum natalem assignando, Corycei selectu facto; Non diffiteor futurum ut cura illum disquirendi incumberet, nisi Gallia non modo præstantissimum proferret, sed præterea nisi in quibusdam Provinciis incolæ, qui illum colligunt, summo studio primam illius & legitimam præparationem perficerent, eoque pacto ab adulterij quovis metu nos liberarent, quem declinare curæ alias fuit.

Crocus Gatinensis, & Arausisionensis, primatum proculdubio tenent in Gallia, certus sum utrumque neutquam inferiorem esse quovis Croco undecunque delatus fuerit: Arausisionsem in præparatione meæ Theriacæ admisi, quem cæteris variis de causis prætuli; Primo, quia regio, quæ meridionalis maxime est, omnium aptissima est proferendis plantis aromaticis; Secundo, quia diuturna experientia mihi notum illos quibus collectionis cura incumbit, fraudi facienda esse inidoneos; cæterum industrios in citissima exsiccatione, caventes ne elegantiæ & viribus quicquam decedat: Tertio, quia mihi facilior fuit electio illius quem vocant, *bgni anni*, aut *anni probi pili*, qui secundus

est à bulborum iterata transplantatione , si quidem pilus Croci diæti anni multo crassior est & succi magis plenus quam primi vel tertij anni; Licebat etiam commodius eundem arcessere illico à collectione, scilicet Octobri mense exeunte.

**C**rocus diætus ad me transmissus fuit elegantissimus, succulentus, intensi coloris & probe mundatus ; Neque tamen propterea non curæ fuit ut singulatim unumquemque pilum adsumpserim, resecandi gratia id quod flavum inest, sola superstite parte purpurea, panno purpura imbuto nitore coloris neutiquam cedente ; omnibus , in quorum oculos incurrit , de elegantia & probitate suffragium ferentibus.

Hoc loco accurate traditurus non sum descriptionem bulborum Crociferorum , qui rotundi sunt , substantia alba & solida præditi , investiti quodam capillatio rufo ; Ut neque delineationem florum , qui violacei sunt coloris dilutionis , ex quorum medio prodeunt tres Croci pili, pendunculo annexi , cujus ope insimæ floris parti cohærent.

Neque etiamnum figuram exhibitus sum herbæ , quæ oblonga est, angusta , coloris viridis obscuri , prodeuntis postquam bulbi primos flores per aliquot dies emiserunt ; viridis coloris tenax à nativitate sua, quæ contingit mense Octobri , ad mensem usque Aprilem , aut Majum subsequentem , quo tempore arescit planta ; Neque etiam ulla urget necessitas ut à me adducatur ratio Bulbos è terra eruendi , iterumque illi mandandi, floremque colligendi , ac separandi exsiccatique pilos, cum mihi satis sit electionem & præparationem necessariam adulisse.

## C A P U T X X V I .

## D E C A S S I A L I G N E A .

*Ligneæ nomen dedit usus isti  
Cassia est nostro quia Cinnamomo  
densior, summe varians, quod ore  
mansa liquefacit.*

**I**D quod nuper protuli de Cinnamomo, aut Canella, compendium futurum est eorum quæ de Cassia lignea dicturus sum; Imo cuncta hæc uno eodemque capite comprehendere licuisset, nisi satius duxissem peculiari hanc concludere , quo melius innotesceret diversitas arborum, ac discriminem corticum Cinnamomi ab hac Cassia lignea ; circa quam dissensus

dissensus est & varietas opinionum, apud plerosque Authores; atque adhuc dum anxij hæreremus nisi Batavi & Lusitani cura nos liberasent per quos de rei veritate nobis constat.

Nemini ergo dubium esse debet arbores Cinnamomiferas, ac eas quæ Cassiam ligneam præferunt promiscue in Insula Keylan provenire; has autem sponte oriri, nullo accedente cultus artificio, ejusdem magnitudinis crassitiei, uti & figura, tam ratione ramorum quam foliorum; Cortices Cinnamomi & Cassiæ Ligneæ unitus ejusdemque sunt formæ & coloris, eodemque modo colliguntur & exsiccantur; sapore qui utriusque aromaticus est & acer, cum acrimonia purum differunt; crassities utriusque etiam fere eadem, cum Cassia lignea non multum hac parte supereret; imo hæc tenuissima aliquando occurrat.

Essentiale autem & potissimum inter hæc discrimen hoc est, quod Cassia lignea masticata visciditatem in ore relinquit, in hoc dissolvitur & liqueficit sensim, nullo superstite ligni vestigio; id quod Cinnamomo non accidit, cuius reliquiæ perpetuo supersunt; Atque ex his constat hallucinatos illos fuisse qui censuerent cortices Cinnamomi & Cassiæ Ligneæ sibi incumbentes, ab una eademque arbore detrahi.

Cassiæ ligneæ nulla debetur præparatio priusquam in dispensationem veniat; satis sit recentissimam adsumpsisse, coloris rutili, acerimam, odoratissimam, aromatica vi imbutam, ac in ore colliquecentem.

## C A P U T   XXVII.

### D E   S P I C A   N A R D I.

*India Nardus, levis & comata,  
Cyperum forti referens odore  
vergit ad rubrum, retinetque vires  
acris, amara.*

**S**PICA NARDI apud Indos natales habet, ideoque Indicæ nomen gerit: Radicibus exilibus & tenuibus donata est, è quibus plurimæ inferiore parte, & juxta terræ superficiem spicæ oriuntur, caulem oblongum & tenuem emittentes.

In diversa abeunt Authores, tum quoad locum originis, tum quoad varias illius species, parum vero interest unde ad nos transmittatur,

dummodo genuina sit, ac prædita omnibus notis & dotibus requiritur.

Id quoque non raro accidit ut cum à quibusdam Medicis præscripta fuit radix Nardi Indicæ, innominata spica, à nonnullis usurpata sint exigua filamenta quæ radicis formam infra spicam referunt; Sin ab iis perspectum fuisset exigua Nardi radicem infra spicas sitam esse, non secus ac parvas radices, filamentorum specie, sicuti inferiori cepæ vel allii, parte situm obtinere; spicas autem non solum radicis vices ad plantam tenere, sed optimam & præcipuam esse partem qua prædita est, ab illis derelictæ non essent probæ illæ spicæ, radices obsoletas potius admissuris, ideoque plane repudiandas.

Etiamsi autem nunquam mihi concessum fuerit Spicam Nardi Indicam terræ infixam conspicere, notitia tamen non levis illius mihi facta est ex objecta oculis meis Nardo montana, à memetipso collecta olim in Genebra Delphinatus monte, in Pedemontij confiniis; Eam à me observatum spicas obtinere proxime sibi consitas & congestas in terra, ac prope hujus superficiem, admodum accedentes ad figuram spicarum Nardi Indicæ; multum tamen à se invicem dissidentes, odore præser-tim, Nardus quippe montana plane inodora est, parte lignea intra spicas obseissa, in Nardo Indica non occurrente.

Cum porro in apothecis Gallicis unica Nardi Indicæ species occurrat, hoc unum agendum ut accurata sit illius electio, cavendo ne pulvere sit obsita, vel vetustate obsoleta, ac præterea ne commista sint nonnullæ spicæ Nardi montanæ, à me memoratae, quas facile internoscere licet, præsertim ex parte lignea.

Genuinæ Nardi Indicæ spicæ oblongiusculæ esse debent, coloris flavo ad purpureum vergentis; spicæ capilli longiusculi sint, & odore ad Cyperum accedentes, sapor sit subamarus, nonnihil acer, linguam exsiccans, ore postmodum odore suavi perfuso: Hæ veræ sunt Nardi Indicæ notæ, mihi non raro obviæ in Nardo quam exhibent apothecæ, ac tandem in ea quæ pro Theriacæ confectione à me admissa est. Id vero maxime incommodum est quod Apothecarij per incuriam pulvere inquinari permittunt, quo excusso, una cum cæteris sordibus, vix quatuor unciae probandæ ex libra integra eruuntur quæ ad compositionem venire possint, quo modo nobis offertur.

Spicæ Nardi electione facta, iuxta normam à me traditam; ex ea decerpantur elegantissimæ & maximæ spicæ, coloris intensissimi; pars media dematur, nonnulla videlicet filamenta pallidiora cæteris spicæ nonexistentibus, quæ uno impetu evellere facile est, arrepta scilicet qua parte adeat spicæ cuspis, nequaquam comminuendo.

Eodem

Eodem quoque tempore leniter excutiendus pulvis qui se alte immersit ; illud satagendo ut inviolata spicæ figura tantum superstites sint elegantes & aromatica vi imbuti capilli , sola pars in Theriacæ nostræ compositione admittenda , sicuti & cæterarum quas subire solet Nardi spica.

Veniam ij non merentur qui susque deque hæc habentes officio suo se satisfecisse rentur si spicas Nardi admiserint, non exclusa parte media, vel nequaquam excusso pulvere, partibus excrementitiis omnino procul alegandis.

## C A P U T   XXVIII.

## D E S C O E N A N T H O .

*Parvulus Junci rubeus , subalbus  
Flos tibi cordi sit , amarus , acer ,  
igneus , mundus , redolens , Camelus  
linquito juncum.*

**S**Coenanthos , alio nomine Juncus odoratus, in Nabathæa provenit, Arabia Provincia , Camelorum non modo pabulum sed & stramen, aliorumque animalium domesticorum, adeo ubertim succrescit : Juncus ad pedalem circiter altitudinem effertur, radices illi exiguae, duræ , nodis conitæ , unde plurimi prodeunt Junci , solidi , rotundi, in acumen desinentes : iuxta illorum cacumen prodeunt flosculi albi , nonnihil rubentes, dupli ordine distincti : Originem necnon præbent hæ radices, foliis angustis & acutissimis semipedalis circiter longitudinis : Juncus & folia ex viridi colore pallescunt. Tota planta admodum aromatica est, odoris penetrabilis, saporis acris & linguam vellicantis.

Cum porro olim florem istius Junci vix comparare sibi liceret , ideo solus Juncus ad compositionem Theriacæ vice florum usurpatus fuit: At vero cum ubertim hi ad nos perveniant, optimo consilio Juncus Camelis in pabulum cessit , solique flores ad hoc opus admissi , pars videlicet plantæ præstantissima.

Adde nec temere Scoenanthi vocabulum illi inditum fuisse , quod Græcis idem ac flos Junci significat , nomine scilicet designante florem plantæ potissimum partem esse ; Præterea hic flos , utut exiguus & levis , ex ipso authorum , qui illius meminere , consensu , per plurimos annos odorem pertinaciter tuctus , saporem aromaticum ac vires , etiam-

si specie tenuis tenuissimæ sit substantiæ; unde præstantiæ illius argumentum desumere licet.

Ad hæc observare utile est, cum Autores plantarum cæcumina ad has compositiones præcipiunt; legenda illa esse quando maxime sunt florida, eo quippe tempore culmen perfectionis attigerunt.

Curæ etiam sit ut flores hi Junci odorati quam recentes admittantur: Sedula quoque diligentia opus est in unoquoque flore singulatim decerpendo, & pulvere excutiendo, festucis alisque quisquiliis floribus venalibus ut plurimum permixtis: Plures ex ordine dies eum in finem consumendi; quamobrem qui laboris compendium querunt, honoris minus cupidi, ac conscientiæ minus æquo faventes, flores dimitunt juncum adsumpturi, eorum quæ modo dicta immemores: Id vero nequamquam à nobis observatum, quin potius in aliam abire sententiam ægre ferremus: Flos cum studio excerptus citra aliam præparationem in compositionem veniat.

## C A P U T XXIX.

## DE THVRE MASCVLO, Sive OLIBANO.

*Masculum sit Thus, patria Sabæum,  
candidum, fragrans, græve, lacrymosum:  
quod quidem antiquo, simul & recenti  
non caret usu.*

**Q**uod Thus Latini vocant, vel Olibanum, Saba profert, Arabiæ felicis Provincia: Lacryma est quam fundit arbuscula, mediantibus incisionibus illi inflictis.

Dissensus tamen est inter Autores de forma arboris parentis, ut & de loco illius natali; Parum vero hæc conducunt, sufficiat genuinum ad nos transmitti: Prætermissa ergo descriptione variarum thuris specimen, quas plurimi authores ex proprio ingenio fingunt, statuo cunctas species in unicam contrahi posse, cuius alia non sit discriminis ratio quam ex puritate, forma, magnitudine, in cæteris gummatibus observabilibus: Ex una enim eademque incisione lacrymæ citissime collectæ, ac proxime inflictum iustum, elegantiores semper futuræ sunt & puriores parte in terram decidua, aut cui commixtus fuerit cortex, aut sordes confusæ.

Discrimen autem inter lacrymarum figuram constitutum, apud me absurdum

absurdū omnino est; sive enim testiculorum formam referant, aut māmarum, aut in minima grana concreverint, Olibanū perpetuo fuerit, quod Thuriis masculi nomine legitime donandū, hoc est purissimi, ad compositiones nostras usurandi, Theriacam præfertim; Nequicquam tamen obstiterit, quantum licet; crassiores lacrymas admisisse, maxime candidas, at semper purissimas; magnitudo quippe oculos semper recreat, etiamsi parvitas præstantia nihil omnino detrahatur, dummodo ceteræ dotes requisitæ non adfuerint, idemque pondus quod majorum lacrymarum usurpetur Missa facio Thuriis fragmenta, Mannæ Thuriis nomine donata, sicut & Thus immundum, ad suffitus vel unguenta usurpandum.

Lacrymæ Thuriis selectissimæ in dispensationem citra adparatum, admittantur.

## C A P U T   X X X.

## D E   P I P E R E   A L B O

E T

## D E   P I P E R E   N I G R O.

*Candido notum Piper hoc colore,  
sit carens rugis, simul & rotundum,  
igneo gustu feriat palatum,  
Cortice nudum,*

*Solis ardores patiens nigrescit  
asperum rugis Piper hoc, sapore  
æmulans Album, simul & remotis  
fertur ab Indis.*

**E**Tiam si Piperis omne genus vulgatissime in Galliam inferatur, usum que familiarissimo veniat, ab antiquis tamen authoribus perperam cognitum est, variisque de illo differuere, multa de origine, ac diversitate, sicuti & de plantis feracibus afferentes.

Plurimi censuere Piper Album colligi & exsiccati ante maturitatem, id quod plurimum à verisimilitudine abhorret; hoc enim si foret, ne-

cesseret minoris magnitudinis ut se offerret, levius, imo rugosius nigrum, cum oppositum omnino elucescat.

Alij afferere ausi sunt duas distinctas plantas proferre Piper album & nigrum, in omnibus sibi similes, si solum fructus colorem exceperis; quarum una gignat Piper album, alia nigrum; non secus ac in vineis occurunt vites uvas albas proferentes, aliae nigras: At utriusque mirum quantum hallucinati sint, ideoque tempestivum credidi veram utriusque Pipera historiam, albi scilicet & nigri si huc inferrem.

Malacæ incolæ, Javae & Sumatrae, Piperum duplex genus serunt & excolunt, quorum unum maris nomine donant, alterum foeminæ: Mas folia paulo grandiora emittit, ac obscuriora: ex uniuscujusque parte opposita, per ramæ longitudinem, dependet racemus Pipera: Foemina minora folia obtinet, hederaceis non absimilia, cordis figuram referentia, ac in acumen desinentia: Exteriore facie virescunt, interiori flavent, caudici oblongo pedunculo adnexa, varie & absque ordine prodeuntia: Nervum media sui in parte obtinent, per longitudinem exporrectum; ex cuius lateribus plurimi alijs prodeunt nervuli in latum expansioni, circa extremum divisi: Absque ordine emergunt racemi, modo simplices, modo duplices.

Utriusque Pipera planta farmenti speciem refert, plurimis nodis aspera & flexilis, ideoque scansilis & juxta quampiam arborem seri debet, aut pedamento fulciri ac sustentari. Etiam primo anno fructum gerit, modo semen solo commode immisum fuerit, postmodum incrementa suscipit & robur.

Grana, aut baccæ, utriusque Pipera, pedunculo carent, & plurima simul congesta & adfixa, prolixo nervo, racemi formam exhibentia; neque ullum observare est discriimen inter grana maris & foeminæ: Vident initio dicta grana, maturitati vero proxima nigrescunt, accedente scil. æstate, quæ regionibus illis mensibus Decembri & Januario adeat: Colliguntur ultimam maturitatem adepta, Soli ad ulteriorem efficationem exposita, quo tempore rugas contrahunt.

Porro ex eodem Pipere nigro, rite maturo, ex maximis granis & succi plenis conficitur album Piper; immaceratur nempe per aliquod temporis spatium aquæ marinæ, à qua cum turgescat, & quodammodo abscedat cortex, Pipere isto Soli iterum exposito, cortex hic niger & rugosus facile separatur, quo grana exuta, candida apparent & purissima, cujusmodi ad nos convehuntur: Atque hoc genuinum est Piper album, quantumvis antiqui contra senserint & crediderint: Id ve-

CAPUT XXXI. DE DICTAMNO CRETENSI. 61  
ro ratum habeo, si *Andromacho* & *Galen* nota hæc essent, quæ verisimiliter, duplicata dozi *Piper album* admissuros fuisse, nigro dimisso, cuius cortex omnino inutilis est.

Folia, Caulis, totaque planta horum *Piperum* parens, baccarum saporem fere referunt, linguam & fauces adurendo; Præparationem utriusque *Piperis* quod attinet, nihil aliud requiritur quam ut felicitate grana majora, succo turgentia, ac elegantissima, ea ratione dispensanda.

---

## C A P U T   X X X I.

### D E DICTAMNO CRETENSI,

*Creticus, densis folijs, aquoso  
monte, Dictamnus veniens in Ida  
sit recens albus, levis & rubente  
flore comatus.*

**N**Obis compertum non est legitimum *Dictamnum* alibi quam in Creta Insula provenire, cujus cognomenerit; Planta est in monte Ida nascens, elegantissima, candidissima, plurimo gossipio obvoluta, non modo quoad folia, sed & quoad caulem: Flores emitit cyaneos ad rubrum colorem vergentes, quibus deciduis subsequitur semen.

Dissidium & bellum inter Turcarum Imperatorem & Rempublicam Venetæ, quæ Cretæ Insulæ domina est, in causa est quod à pluribus annis paucissimus *Dictamnus* in Galliam perveniat; pauxillum vero illud vix floridum sit, saepè dotibus requisitis destitutum: Non propter ea præcipuae vites in flore querendæ, sed sentio si *Dictamnus*, quo tempore colligitur, floridus sit, flores nequaquam repudiandos, sed promiscue cum foliis admittendos, rejectis solum caulis & radicibus: Adde quod legitimum collectionis *Dictamni* tempus fit id quo floridum est, ob rationes de cæteris plantis allatas, quarum cacumina ad nostra Theriacæ compositionem veniunt: Sin *Dictamnus* antequam flores emiserit collectus forte fuerit, sola folia usurpanda sunt, cæteris ablegatis.

Adhibendum studium ut *Dictamnus* recentissimus eligatur, albus, gossipio probe obvolutus, usurpatis solum partibus à nobis memoratis, dispensationis gratia.

## C A P U T   X X X I I .

## D E   P R A S S I O   A L B O .

*Asperis plenum foliis, colore  
cognitis albo, viridem premente,  
Prassum circumtegitur, subalbo  
Flore refertum.*

**P**rassum album, alias Marrubium Album dictum, planta est notissima, sicuti & Marrubium Nigrum aut Fœtidum, neque prolixiori descriptione indigent; Ad pedalem altitudinem excrescit, plurimos caulinulos ex una eademque radice, juxta terræ superficiem emitens: Folia ad rotunditatem accedunt, magnitudinis scilicet denarij Gallici cuprei; ad contactum aspera, viridia, sed quæ integit gossypium subalbicans; Flores exigui sunt & albi, caulem per varia interstitia ambientes, variis locis siti, præsertim in cacumine, orbemque effingunt caulem ambientem, non secus ac annulus pessulum circumdat, id quod authores verticilli vocabulo donavere.

Universa planta subamara est, utcunque aromatica, odoris non integrati, Colligendum est Prassum album in montibus, cum maxime floridum est; Cacumina illius adsumenda, ac in ferta colligenda, charta pura obolvenda; loco perflabili exsiccanda, quo radij Solis non pertingat: Exsiccatorum pars florida adsumenda una cum folijs commixtis, quæ una in dispensationem venire debent, abjectis caulinulis.

## C A P U T   X X X I I I .

## D E   R H A P O N T I C O .

*Ponticum flavi peritur coloris  
hoc Rheum, stringens, leve, glutinosum,  
Barbaro nostro minus, atque parte  
rarius omni.*

**G**enuinum Rhaponticum vix olim occurrebat, vix rite fuit agnatum, quo sit ut prisci authores varia de illo pronuntiaverint, ac posteris legitimam censuræ occasionem præbuerint: Cum vero mortuis

mortuis insultare nefas esse ducam , uti & vivis , eorum scripta vellicaturus , ad rectum sensum illa detorquere sensim conatus sum , ea fretus opinione sincere & ingenue protulisse quæ illos in mentem venerunt : Satis ergo mihi fuerit legitimi Rhapontici descriptionem attulisse , sicuti mihi innotuit , plurimis Medicis necnon Pharmacopoeis.

Ex colore & substantia Rhapontici non pauci judicium tulere illud Rhabarbari speciem esse , neque à verosimili multum ab ludunt : Alii censuere speciem esse Lapathi , imo ipsum Rhabarbarum in hunc censem venire posse , neque illis sūx desunt rationes ; Sin planta integra Rhapontici , quod afferunt juxta Flumen Tanais natales habere , æque ad Lapatum accederet , sicuti ea quam ego olim ipfem in monte Genebra collegi , dubitandi ansa nulla apud me esset : Eiusmodi enim Rhaponticum radicibus donatum est impense flavis oblongis , admodum productis : Foliis gaudet viridibus , magnis expansis & longiusculis ; summitatibus præditum Lapatho omnino conformibus , quoad formam vero minimum observatur discriminis , at solum in magnitudine & crassitie partium omnium Plantæ : At cum ad nos transmittatur solum radix Rhapontici exsiccata & in taleolas dissecta , satis fuerit illam probe cognovisse : Ad nos defertur pollicis unius crassitie , aliquando duorum , digitus aut amplius longitudine : Colore Rhabarbaro omnino similis , interna & externa facie , at multo levior , rarioris substantiae , minus & amara & odorata ; Masticata paulo glutinosior est , secus quam Rhabarbarum : Effundit ex se succum , aut tincturam flavam coloris intensi , adstrictionis sensum fere ut Rhabarbarum ori imprimens : Hinc vis in illa astrictoria , nequaquam purgatoria ; Paucis , manifeste discrepat , ac levi negotio à Rhabarbaro distinguitur : In Rhapontico à me dispensato cunctas has notas deprehendere licuit .

Cum porro iis qui neque labori neque sumptibus pepercerint quovis tempore id comparare licuerit , immerito illi ad antiballomena confugerent , ideo convenientia disquirere supersedco .

Rhaponticum cum non multam crassitatem obtineat , cariem aut corruptionem internis partibus vix contrahit , sicuti Rhabarbarum , nisi quid forte occurat , juxta foramen per quod filum transmissum fuit , cui appensum ; Si tale quid adfuerit , apice cultelli demendum quicquid fusco colore infectum adparet : nullaque alia adveniente præparatione , satis erit radices maxime recentes adsumpsisse , ac maxime vivido colore donatas , interna facie colore proximas Nuci Moschatæ effractæ .

## CAPUT XXXIV.

## DE STOECHADE ARABICA.

*Stoechadis Flores Arabes vocari  
æmulant grato violas colore,  
& simul spicas referunt, odorque  
naribus asper.*

**S**Toechas, cognomento Arabica, sponte oritur variis in locis Galliae Meridionalis, sicuti & Stoechas citrina, præfertim in Gallia Narbonensi & Provincia; præterea plurimis in hortis excoli solet.

Planta Stoechadem hanc proferens lignea quodammodo est, forma ad spicam aut lavendulam plurimum accedens, sed paulo altius assurgit illius pars lignea, et si spicarū cauda multo brevior sit: Spicarū forma ad cæteras maxime accedit, in spica autem & lavendula longiores minusque quam in Stoechade compactæ, in qua paulo crassiores, In summa spica non exiguo Flore plumulæ forma exurgente donati, Flosculi etiam plurimi circa spicam erumpunt, cyanei coloris uti & qui in extrema spica situs est, non secus ac ipsa spica.

Forte tamē aliquando in sylva obvia mihi fuit planta Stoechadis Arabica, cuius spicæ omnino candidæ erat, sicuti & flores ex illa prodeentes, quoad cæteras vero notas, universamque plantam omnino similis.

Stoechadis odor acer est & penetrabilis, utcunque affinis odori lavendulæ & rorismarini, sicuti & sapor, Gaudet locis æstuosis, aridis & asperis, septentrionali vento obversis, meridiem spectantibus: Iisdem in locis una cum thymo, toremarino, lavendula, junipero, aliisque plantis calidis provenit, Maio mense floret, Bombyces ejus odore admidum recreantur, atque in ea planta ayide bombycinos globulos texunt, vel folliculos, quos Cocculos vocant.

Solus illius Flos ad Theriacam nostram expetitur, Colligendus ille & exficcandus cum summo vigore pollet, caudam omnino præcidendo, quæ sola illi debetur præparatio.

## C A P U T   X X X V .

D E P E T R O S E L I N O M A C E D O N I C O .

*Hoc Alexandripatram venustrans  
petreum semen, minus Estreatis  
montibus noscens capias & Ammi  
semen adæquans.*

**E**Tiamsi nonnulli Authores tradant semen Macedonicum in Macedonia admodum frequens non esse, sufficienti nihilominus invehitur copia ad cunctas Theriacæ præparationes quæ in Gallia parati possunt: Quinimo apud materialistas occurrit Petroselinum hoc Macedonicum antiquissimum, id quod nequaquam accidisset si rarius fuisset & magis expetitum: Adeo ut censuram mereantur qui illi semen Petroselini nostri vulgaris substituunt, Macedonico proculdubio deterioris: Quibus porro honos & conscientia caræ fuerint, ij non verebuntur pro uncia una seminis Petroselini Macedonici pretium libræ unius Petroselini nostratis impendere.

Semen Petroselini Macedonici exiguum esse debet, longiusculum, forma ad semen Ameos accedens, sed depresso est & paulo oblongius, coloris fusti, saporis admodum aromatici, odoris suavissimi: Quæ egregiæ dotes cum non occurrant in semine Petroselini nostratis Gallici, proculdubio ideo rejiciendum est.

Sed adhibendum studium in comparando semine Macedonico quod recentissimum, sit, succi plenum, notis à nobis descriptis, præditum: Chartæ scapo, tanquam vanno excipiendum est, excutiendi gratia pulveris, demum festucæ quæcumque commixtæ removendæ, adeo ut semen omnino purum supersit, sicque dispensandum.

## C A P U T   X X X VI .

D E C A L A M E N T H O M O N T A N O .

*Pallidis circum foliis comata  
floribus mixta, Calamintha odora,  
monti innascens, operi parando  
sola petenda.*

**C**Allia Narbonensis , Provincia , & Delphinatus Calaminthi fera-  
ces sunt ; Viæ , publicæ , sylvæ , loca inculta quasi tapete planta  
illa exornantur , sicuti & montes : ad quos configiendum est colligendi  
gratia Calaminthi ab Andromacho præscripti.

Planta hæc plurimos caulinulos quadrangulares ab radice emittit ;  
folia rotunda sunt , tantillum acuminata , colore viridi pallescente , non-  
nullis aliquando maculis candidis interspersis : Flores exigui sunt , colo-  
re ad flores anthos accedente ; variis in locis inter folia erumpentes  
per caulinum longitudinem .

Universa planta admodum calida est , saporiis penetrabilis , odoris  
acris utcunque aromatici : Cuncta in ea sunt eximia præter radicem ,  
omnino inutilem : Ad Theriaces tamen nostræ compositionem cacu-  
minum solum folia cum floribus commixtis admittendæ , abjectis om-  
nibus caulinis , foliis & floribus qua terræ proxima sunt .

Hujus plantæ cacumina colligenda cum omnino florida sunt , die se-  
rena , in excelsis montium partibus , ac quantum licet à vento Aquilo-  
nari non perflaris , meridiem aut orientem solem spectantibus : Id quod  
quantum licet observandum in collectione plantarum omnium aroma-  
ticarum montanis in locis nascentium .

Eadem cuta cacumina hujus plantæ exsiccanda qua Scordij , Mari ,  
Amaraci , & similium .

## C A P U T   X X X V I I .

## DE THEREBINTHINA CHIA.

*Cerne resinam liquidam , tenacem ,  
quam tibi fundit Terebinthus arbor ,  
Subvirens extat , redolens , Chiensis ,  
lucida , pura .*

**T**herebinthina resina est liquida , incisione facta in trunco arbori<sup>9</sup>  
quam Terebinthum vocant , effluens , folia geminata proferentis ,  
propemodum Lauri foliis similia ; Flores fere quales Olea profert , sed  
paulo magis fulvos : Fructus baccam juniperinam refert ; Lignum flexi-  
le est , inculpatum , perenne ; Nonnullas etiam vesiculos instar ulmi  
producit , in quibus liquor pinguis delitescit , ex quo culices quidam  
generantur .

Terebinthinam suppeditant Arabia petrosa, Iudæa, Lybia, Africa, & Syria: Oritur etiam in Insulis Cypro & Chio, imo variis in locis Italiæ & agro Tridentino: Optima Terebinthina, quæ ad nos defertur, Chia est: Pellucida admodum esse debet, coloris albi ad cyaneum vergentis, odoris acris nec tamen insuavis, consistentiæ quam Veneta vel alia quæpiam solidioris: Ante dispensationem nulla præparatione indiget.

Hoc loco prætermissurus sum varias Terebinthinae species ex aliis arboribus stillantes, pino scilicet, abiete, larice, ac plurimis aliis, bonitate proculdubio inferioribus Terebinthina quæ hic admittenda est.

## CAPUT XXXVII.

## DE ZINZIBERE.

*Zinziber nodis variis abundans  
mittit ad Gallos Malavar palustre,  
candidum præstat, grave, forte, plenum  
cortice dempto.*

**N**on solum Malayat, Decan, Gafarate & China suppeditant Zinziber, sed etiam America, in quam id novi Insularum incolæ transstulerunt, ex Indiis allatum, prospero proventu, feliorique quam Garyophyllos aromaticos, Cinnamomum, Nucem Moschatam, quorum ubertas in solo patrio tantum expectanda.

A quo tempore Zinziber in ejusmodi Insulas Americanas translatum fuit, insignis ejus copia in Galliam adfertur, viliorque multo pretio quam olim emitur.

Dictorum locorum incolæ duas illius constituunt species, marem & foeminam; mari folia & radices quam foeminæ multo majora: Vtriusque folia ad rosæ folia proxime accedunt, roto anno virentia: Radices nodis inæquales sunt, in latitudinem excrescentes dum sub terra repunt.

Quodvis Zinziber aut sponte nascitur, aut cultum admisit, hoc autem præstantius est, Nulla apud authores distinctio maris à foemina: Colligitur mensibus Decembri & Januario, Æstatis scilicet tempore in dictis regionibus; tuncque arescant folia, relieto ab incolis in terra radicis nodo cujusque plantæ, quo pacto contingit illius multiplicatio: Collectæ demum radices argilla obvolvuntur ad exsiccationem, pro-

hibendamque cariem , cuius admodum obnoxiae haæ radices; Saccharo  
c. aque recentes conduuntur.

Radices maxime candidæ , crassæ ; recentissimæ , & succi plenæ  
præstantissimæ habentur ; Cortex illis cultri apice demendus , & quic-  
quid obscuri est coloris , adeo ut in expurgata radice nihil obvium sit  
quod candidum non sit & succulentum.

## C A P U T   X X X I X .

## D E   P E N T A P H Y L L O .

*Quinque conjunctis foliis in unum  
nascitur radix , croco usque flore  
utilis cortex medius , remotis  
corde cutique.*

**N**ulli non Pharmacopœo notum Pentaphyllum aut Quinque fo-  
lium , ex foliis quinario numero dispositis & conjunctis , tenui  
adnexis caulinculo , nodoso & reptili ; unde flosculi flavi  
exiliunt.

Sola radix in usum ad Theriaces compositionem admittitur , cuius  
cor ligneum abjiciendum , nullarum virium: Leniter etiam deradendus ,  
simulque repudiandus tenuis quidam cortex obscurus , radicem ope-  
riens , sola parte purpurea conservata , quæ tenui illo cortice spoliata ,  
illam vestiente , offert quasi corticem medium , qui desiccandus aut de-  
pressus , qualis modi est ; aut , si gratiæ aliquid dandum , circundari de-  
bet exigui , banillis ex vimine , aut alio ligno ; alligatusque his fili ope  
unusquisque cortex , exsiccandus , figuram non illepidam eo modo re-  
tinens : quæ sola præparatio huic radici debetur , collectæ quo tempore  
in flores erumpere incipiunt , maxime videlicet omnium idoneo colle-  
ctioni omnium radicum , uti à nobis dictum.

## C A P U T   X L .

## D E   P O L I O   M O N T A N O .

*Floribus mire Polium comatum  
aureis , instar capitum supinas*

*Montium*

*Montium partes decorans, suavem  
fundit odorem.*

**D**Elphinatus, Provincia ac Gallia Narbonensis Polij insignem proventum exhibent tum in locis planis, aridis & arenosis, tum in montibus: Id quod planities proferunt figura à montano non multum dissidet, villosa quippe tota est planta, ejusdemque utrobique magnitudinis, floribus rotundis decorata, capitum comatorum formam exhibentibus, sed candidis; Montani autem flores auri flavedinem amulantur, non secus ac caulis, goßlipio quodam ad florum colorem accedente obvoluti.

Neutrum Polium altitudinem manus excedit, utrumque autem numerosos caules ex unica radice deponit, saporis admodum aromati ci, à Natura tanto artificio digestos, ut congeriem quasi dixeris plurimum suavum odorum.

At vero Polium montanum multo præstantius est illo quod plana loca progignunt, non solum coloris elegantia, sed etiam odore & facultatibus: Neque apud me dubium; si utriusque instituta fuerit comparatio quin flavum in elegantis manus prius veniat quam album.

Illud in cacuminibus montium ortum trahit, inter rupes & saxa, locis septentrionali vento obversis, solem orientem aut meridiem spectantibus: Loca vero id producentia quavis fere alia planta destituta sunt, præterquam aliquando Carlina: Nonnullæ etiam aliquando plantæ in torrentium arena obviae sunt, ex præcelsis montibus decurrentium, proculdubio aquarum impetu illuc delatae.

Cacumina hujus Polij decerpenda sunt cum plane florida sunt ex hisque exigui fasciculi parandi, charta obvolvendi, eaque ratione qua cætera cacumina custodienda.

## C A P U T X L I .

### D E C H A M E P Y T I .

*Iva ferr moschi sine iure nomen,  
aureum florem, solium virensque,  
gestat oblongum, redolensque pinum,  
crescit in ervis.*

**C**Hamæptytis, vocata alias Iva arthetica aut moschata, notissima est: exigua est planta reptilis, caulinos plurimos manus longitu-

dinis proferens , quæ vestiunt multa folia oblongiuscula , erecta & viridia, aliquantis per divisa, quodammodo hirsuta & densissima, promiscue erumpentibus floribus , admodum exiguis, coloris mali citrij : Semen exiguis rotundis siliquis continetur, in acumen desinentibus.

Tota planta non parum odorata est, sed etiam si moschatæ nomine insigniatur, odore ad moschum nequaquam accedit, sed potius ad pinum, cuius nomen sed pusilliæ, gerit.

Nascitus plerumque in locis aridis & arenosis, modo in arvis , modo in incultis; Floret æstate imo & autumno.

Planta hæc cum fere reptilis sit, terræ admodum proxima, hac fere semper inquinari solet ; ideo collecta quo tempore flores ipsam decolorant, tempore sereno probe concutienda est, ad excussionem terræ adhærescentis, adsumptis solum illius extremis , ex quibus ferta concinnanda, charta obvolvenda, eadem ratione qua cætera plantarum cacumina exsiccanda.

## C A P U T X L I I .

## D E S T O R A C E C A L A M I T A .

*Hæc Storax, olim Calamita, constet  
candidis intus lacrymis, sed extra-  
sint rubræ, nares penetret suavi-  
pinguis odore.*

**A**RBOREM Storacis parentem depingere solent fere similem malo cotoneo , cuius tamen folia minora fiunt, admodum candida una parte , solida & oblonga , floribus albis instar mali aureæ.

Storax Gummi est ex inciso cortice arboris illud fundentis prodiens, non secus ac cætera gummata ; Cujus tres species nobis innotuere, Prima est Calamites, lacrymarum specie, Secunda , Storax vulgaris, Tertia Liquidus, Postrenus hic Storax omnium vilissimus , qui censetur artificio comparatus , ex pluribus resinosorum liquorum commixtione compositus.

Storax vulgaris iterum duplex est , alias enim purior est, defæcatior & pinguior ; Alius levior , ligni proprii scobe , aut aliis foribus inquinatus : In utroque tamen suavis odor , sed multum recedunt à præstantia Storacis calamitæ, cuius quippe uncia eodem pretio venit cum libra integra alterutrius optimi.

Optimæ

Optimæ Storacis lacrymæ ex Pamphylia ad nos convehuntur: Calamitem dixere, eo quod olim calamis conclusus, aut tubulis advehatur; conservandæ gratia elegantia, odoris & virium, ac ut purius commodiusque deferretur.

Illi lacrymæ purissimæ eligendæ sunt, elegantissimæ, mitis & suavissimi odoris, et si admodum penetrabilis: Lacrymæ hæ interna parte candidæ sunt, imo exteriori facie si recentes fuerint, sed vetustate fulvescunt quoad superficiem, etiamsi odoris præstantiam pertinaciter tueantur, necnon & vires, dummodo accurate custoditæ sint.

Storacis hæ lacrymæ nullam præparationem prærequirunt; dispensandæ tantummodo lacrymæ candidissimæ, maximæ & purissimæ.

## CAPUT XLIII.

## DE MEV ATHAMANTICO.

*Montibus gaudens Athamantis olim,  
hæc Meu radix, penetrans, acuta,  
sit recens, fragrans, aliasque plantæ  
projice partes.*

**I**N excelsis Arverniæ montibus, Galliæ Narbonensis, Provinciæ Delphinatus, Meu copia occurrit, à peritis Pharmacopeis & Botanicis pro genuino Meu habitu, quale *Andromachus* præscribit.

Hujus plantæ folia, imo & summitates, necnon umbellæ admodum ad Anethina accedunt; Radicum partem supremam ambiant longa filamenta, barbæ figuram referentia, cuius capilli sursum vergant, fere ut in Eryngio; Radices oblongæ sunt, alte terram subeuntes, aliquando postmodum in tres quatuorve ramos divisæ: Exteriori parte sat obscurum exhibent colorem, intus candidum, substantia rara & leví donatæ: Sapor illis acer & mordax, admodum aromaticus, Odor valde penetrabilis.

Sola radix admittenda est, quæ colligenda statim ac flores erumpere incipiunt; solaque ablutio sufficit, ac expurgatio à quibusvis capillis; exsiccationem demum procurando libero aëri exponendo, extra radios Solis, recondendo demum ad usus.

## CAPUT XLIV.

## DE AMOMO.

*Hoc racemosum capias Amomum  
mordicans, rubrum, redobens, acutum,  
cognitum granis gravibus, rotundo  
cortice tectis.*

**A**MOMUM in varias distractit authores sententias, una cum plurimi simplicibus Theriacam nostram subeuntibus, imo occurunt nonnulli neoterici qui plurima de hoc afferunt nulli fundamento innixa, unde opinio nascitur curæ illis non fuisse ut in cognitionem deve- nirent, nec magis curiosos fuisse iis quorum relationi fidem adhibuere, qui lucem fœnerari non potuere in re quæ tenebras illi offundebat: Sin mihi æque fuisse concessum Balsami cunctas partes legitimas adipisci ac genuinum Amomum, in promptu mihi esset cunctis carere succe- daneis.

Amomum enim à pluribus arnis adeo vulgatum factum est, peritis Pharmacopœis tam familiare ac Materialistis sagacibus, ut nullus inge- nio prædictus in dubium revocet: Nullo præterea negotio licet Pharmacopœis apud plurimos Materialistas nancisci Parisiis, vel Massilia arces- sere, Lugduno, Rothomago, vel aliunde: Neque præterea ullus occurret Pharmacopœus, vel levi simplicium cognitione imbutus, qui Amo- mi semen repudiare velit, lignum admissurus, id quod faciendum non- nulli existimavere: Odoratus enim sensu & gustus ille carere censendus esset, qui seminis vim prævalidam à ligno dirimere non valeret, illud- que isti omnino non præferret.

Contortum etiamsi sit Amomi lignum, racemos tamen instar vitis intra suos anfractus profert, atque Amomum hodierna die quod se no- bis exhibit pro eo admittimus quod Dioscorides Pontici nomine don- vit, subfulvam, breve, fragile, racemosum, multitudine granorum turgens, acri odore nates cum illis admovetur feriens.

Non semel videre mihi contigit, atque in officina mea aliquando prosternit Amomum racemosum, quamobrem non incerto de illo verba mihi facere datum est: Grana ejus ad purpureum colorem vergunt, fere quadrata, invicem conjuncta, formam rotundam exhibentia, interjectis tamen exiguis membranis iisque tenuissimis distincta, adeo ut exiguis

exiguus ille globus ex tribus tantum seminibus constare videatur, quæ nihilominus digitorum attritu in plurima dirimi possunt: Sapore prædicta sunt acri & mordaci, Odore valde penetrabili: Grana hæc eo modo conjuncta siliqua concluduntur, rotunda, candicante, acini uvæ figuram fere præ se ferentes: Siliqua omni pedunculo caret, sed plures siliquæ, invicem connexæ, adhérent quasi mediante glutino cuidam nervo oblongo, non secus ac grana Piperis: Basis vicem illis præbet iste nervus: multum compressæ sunt & desuper congestæ, Uvam fere effingentes, modo longiorem, modo breviorem, plantæ adnexam, ab exortu ex parte foliis coopertam, mali granati folia utcumque referentibus, è quorum numero tria cæteris eminent, & longiora sunt; tria autem bis intricata, quæ breviora.

Et hæc credo sati sunt ad inducendam Amomi cognitionem: Hoc ut decet dispensabitur si siliquæ reseratæ fuerint, abjectis cunctis granis nigris, rugosis, exsuccis; sola adsumenda sunt colore vivido prædicta, gravia, succo plena, aromaticum spirantia odorem: Hæc simul manibus atterenda sunt, secernendæ gratia membranulæ, cito abscessuræ, si scapo chartæ, tanquam vanno excepta sint, cui grana nitida inhæsura sunt, dispensationi idonea.

## C A P U T X L V.

## DE ACORO VERO.

*Hic odoratus Calamus quibusdam  
dicitur, nobis Acorus, sed esto  
verus, albescat, scateatque nodis,  
rarus, odorus.*

**Q**uod Acorus verus substitui soleat Calamo aromatico, ideo Materialistis id nominis sæpenumero illi inditum fuit, et si non exiguū discriminē inter utrumque intersit, Calamus enim aromaticus arundinis species est, Acorus verus radix, folia solum oblonga emittens, forma ad Iridis folia accendentia: Radix hæc humi serpit, alimentum exsagens per filamenta sibi subdita, admodum nodosa est, digitii minimi magnitudine, coloris albi, cui rubri nonnihil remixtus, substantiæ raræ admodum & levissimæ, saporis mordacis, odoris acris at non insuavis.

Parum compacta ipsius substantia efficit ut nulla radix magis quam

hac cariei obnoxia sit, adeo ut nulla fere occurrat hac immunis, nisi recentissima fuerit: Ad nos ex Lithuania aut Tartaria adfertur.

Eligatur recentissimus Acorus succulentus, viridis admodum coloris: leniter tela nova aspera affricandus ad exactam pulveris excussionem: Cultelli etiam acie singula filamenta, si quæ adfuerint, demenda, sed ut plurimum iis caret qui ad nos convehitur, quod mundatum ab incolis mittatur.

Calatum aromaticum, vel odoratum, quod attinet, aliquando revera apud Aromatarios occurrit arundo quedam tenuis, pallida, admodum nodosa, utcumque exhibens notas ab authoribus genuino Calamo adsignatas; sed cum non immerito dubium sit num pro legitimo habendus sit apud nonnullos, ideo Acorum verum in Trochifcis Hedychoi admittere malunt quam Calatum dubium inferre, etiamsi aromatica vi imbutus videatur, neque viribus omnino destitutus.

## CAPUT XLVI.

## DE NARDO CELTICA.

*Alpibus gaudens, Tyrolique monte  
Nardus hæc crescit, rubicunda florens,  
utilis radix, alias peritus  
abjice partes.*

**N**ardus Celtica, quam alias vocant Spicam Celticam, innascitur Alpibus & montibus Tirolensisbus aliisque locis; odor aromaticus Nardi nomen illi imposuit; Spicæ vocem quod attinet, impropter illi adsignatur, quandoquidem apprens Spicæ species, adhæret tantum exiguis quibusdam superfluitatibus, quibus ablatis (detrahendæ enim cum mundatur radix) nulla Spicæ species adparet.

Admodum exigua est hæc planta, flores emittens flavos, utcunque subrubicundos, oblongos, & qui leviter expanduntura ad cuspidem vertentes, Radices etiam tenuissimæ sunt, nodis asperæ, quas ambiunt parvæ illæ excrescentiæ quæ tunicæ quasi speciem quandam illi præbent, ac Spicæ effigiem exhibent.

Radix hæc plantæ pars est præstantissima, admodum aromatica, & odorata; scapus exiguaturum est virium, sicuti folia & flores: Omnino vero hic cavendum est ab usu Nardi obsoletæ, quam recentissimam accer-fendo, hanc chartæ in sternere oportet, loco subfrigido, quo aliquantū teneat.

nerescat & mollescat, præcavendi causa ne radices atterantur inter expurgandum, eapropter lenissime scalpelli apice filamenta omnia deradenda, cunctaque alia superflua: Si quis enim radicem hanc omnino siccum expurgare intenderet præ friabilitate omnino in frustula discederet, notitiamque postmodum subterfugeret: Patientia Pharmacopœi hac occasione desideratur, temporis enim diuturnitate opus est, sedulitate & accurata cura, radix quippe hæc odoratissimis accensenda est, efficacissima enim & maxime digna quæ Theriacam nostram ingrediatur.

## CAPUT XLVII.

## DE TERRA LEMNIA.

*Insula portat rubicunda terra  
Lemniæ nomen, tulit hæc sigillum  
cupreum quondam, tulit & Diana  
flemmata Divæ.*

**I**Nsigni celebritate nominis gaudet, hæc Terra ob vim qua prædita est, non solum superandi & domandi quocunque veneni genus ore adsumpti, sed & præterea mortus omnes & puncturas venenosorum animalium curandi; Imo olim Galenus illius gratia bis in Insulam Lemnon iter suscepit, tam ut legitimam comparare sibi posset, quam ut peritiam in illius electione adquireret; ac demum ut præparandi ratio in loco natali sibi innotesceret antequam per universos mundi cardines diffunderetur.

Omnium authorum consensus est Terram hanc in Insula Lemno effodi, Stalimenē alias vocavit, non procul ab orbe cui Hephestias nomen, in excelsa parte collis rubicundi, nullius plantæ feracis, quasi ab igne incendium passus esset.

Mitto plurimas Ethicorum superstitiones, atque electionem ab illis factam sextæ diei mensis Augusti referandæ gratia mineræ istius terræ; quibus satis erat tantundem illius adsumpsisse, quantum satis erat ut toti anno satisfaceret, tam proprium incolarū commodum, quam aliarum mundi regionum, quas participes illius facturi erant: Eodem tempore mineram alia terra cooperientes ne vulgaris nimiopere fieret: Satis est nosse, præparandi gratia hanc Terram incolas aquæ immergere consueuisse, decantata autem aqua accepisse ipsos liquum subsidentem,

quem non omnino exsiccabant, sed eo usque tantum ut ex eo effungi possent globuli tantisper depresso, cujusmodi nobis offeruntur, quibus sigillum imprimere liceret, Capri figura signatum, vel alia quæpiam, ut Diana, cui Deæ sacra faciebant incolæ Insulæ Lemnos; partem arenosam & petrosam in fundo, utpote inutilem relinquendo.

Turcæ, hodierna die hujus Insulæ Domini, alio quam antiquo sigillo utuntur, ac una cum genuina terra Lemnia multas alias terras colore diversas ad nos transmittunt, quasdam rubicundiores, quasdam pallidiores, alias cinerij coloris, quasdam albas: quo fit ut hodie arduum sit deprehendere quæ genuina sit terra Lemnia: Cunctæ enim illæ terræ pingues sunt & adstrictoria vi præditæ, ejusdem propemodum omnes saporis & substantiæ, nec desunt qui vim illis alexiteriam adsignant: nec indubiam.

Ex solo colore maxime distinguendæ veniunt; at cum Lemniæ rufus esse debeat, primum esset aliam concolorum supponere, atque ex solo hoc indicio terræ probitas nunquam dijudicanda venit, ut neque ex sigillo quod imitari facile est; Nullo quoque negotio prædicto colore imbui potest, immisto hircino sanguine, id quod ab Ethniciis olim præstitum creditur: Idem ope aliis sanguinis obtinere licet, succi cuspiciam aut tincturæ alicujus.

Neque etiam arduum aromaticam vim illi inducere, nonnullis afferentibus hanc carere non debere: At vero dubium maxime me habet, vis alexipharmacæ, adeo in hujusmodi terra decantata, mihi vero suspicta; Neque dubito, si hac vi polleat, quin eandem in Bolo Armena deprehendere liceat, plurimisque aliis Terris, ac præsertim in Bloesensi, quam suppeditat nostra Gallia, cujus comparandæ gratia ultra mare non abeundum, Adde quod etiam si multo majus intercederet discriimen, dosis terræ Lemniæ, quæ Theriacam subingreditur, non adeo insignis est, ut metuenda sit futura quæpiam immutatio.

Neque tamen ideo legitimam terram Lemniam conquirendi studium mihi defuit, sed quæ, quantum iudicio pollerem, omnibus notis ab authoribus ipsi adsignatis adhiberetur cura fuit; hancque in mea dispensatione censuræ publicæ etiamnum objeci.

Interim à me nunquam deprehensus in hac Terra (vel quæpiam alia) quisquam odor insignis, neque, uti censeo, aliquis observaturus est, nisi aliunde artificio adhibito accesserit, ablutione videlicet cū aquis odoriferis facta: Quin potius censeo, si terra intra propriam mineram singulari quæpiam odore gauderet, eum accedente ablutione discussumiri, quam in præparatione adhiberi jubent.

Eapropter nunquam adfensum meum ejusmodi præparationi adhibitus

biturus sum , non quidem odoris fætitij jacturam metuens, quam omnino abesse censeo , Sed ratione virium occultarum quibus forte prædicta est hæc terra , non secus ac plurimæ aliæ; apertissimum siquidem est, si quæ subfit , illam in aquam transfundi posse , quæ ope lotionis una cum illa discedat.

Satius vero esset , me judice , levi tritura hanc Terram divisisse, ac per incerniculum rarius transmisisse , eo enim pacto portio lapidosa, aut arenosa , quam ablutionis vi secernere adlaborant , in incerniculo plane superstes esset: Hæc autem tritura, & per cribum trajectio , impedimento non esset quominus ad pompam terra , eo modo transmissa, commisceretur illi aquæ copiæ quæ satis esset ad formandos exinde globulos aut Trochiscos, adposito postmodum sigillo pro libitu ; Neque alia huic Terræ, ut censeo, præparatio debetur : at vero si in usum adducatur præparationem jam experta, nulla alia opus fuerit.

## C A P U T X L V I I I .

## DE PHV, SEU VALERIANA MAGNA.

*Ponticum Phu dat similem colori  
flammeo florem, folium utriusque  
multipes radix, levis, alba, odora,  
una petenda.*

**S**Apores, ac penetrabilis istius Plantæ odor, apertum faciunt Theriacæ ingredientium hanc non infimam esse ; Plures occurunt Valerianæ species, quarum præstantissima ea est quam magnæ nomine insignimus, ab authoribus Phu dictæ ; cuius folia propemodum ut scabiosæ incisuris prædicta sunt , sed lævia & ad contactum lenia , non secus ac illius caulis, qui subrubicundus est, cavus & fragilis, cubitalis altitudinis; Flores forma & colore non multū ab iis abludunt quos edit Cynororchis, sed expansi magis sunt : color est ex albo purpureus , ignis flamمام quodammodo referens : Radicibus donata albis & reptilibus , digitæ crassitie , inferiori parte obtinentibus plurima crassiora filamenta , pedum vicem quasi præbentia , admodum aromatica , non secus ac ipsa radix.

Natales habet hac Planta in Ponto , unde nomen suum deduxit: sed eo usque confugere necesse non habemus , quandoquidem ex

montibus Delphinatus , Galliæ Narbonensis aliisque ex locis præstans  
tissimæ copia nobis suppetit : Alias præterea binas species nobis suppe-  
ditant , unam mixtorem , vel medium ; alteram minimam dictam , qua-  
rum utraque cum magna similitudinem quandam habet foliorum &  
florum figura ; sapore quoque & odore radicum , viribus vero vix in-  
feriores sunt , minima præfertim , quæ olim in excelso monte obvia  
mihi fuit , ejus miratus & saporem & odorem summe aromaticum : At  
cum maximæ non desit copia , prætermitti possunt binæ aliae  
species.

Solæ radices hic admittuntur , quæ plena luna colligendæ , ac quo  
tempore folia emittere incipiunt : Minime yitiatae , maxime candidæ &  
succulentæ recipiantur ; quæ probe ablutæ ac à quisquiliis omnibus ex-  
purgatae , & à cunctis partibus corruptis aut marcidis liberatae , loco pa-  
tenti exsiccandæ sunt , quo radij Solares non pretingant , exsiccatae autem  
ad dispensationem recondendæ .

## C A P U T   X L I X .

## D E C H A M A E D R Y S .

*Quercula nomen retinens minoris ,  
parva Chamædrys , redolens virensque  
summa siccatur , rubicunda , florens ,  
acris , amara .*

**C**Hamædrys , pusilla quercus alias dicta , ob similitudinem foliorum  
cum illis quæ profert quercus arbor , admodum vulgaris est , variis  
que in locis nascitur tam planis quam montofisis .

Planta est exigua , vix manus altitudinem attingens , facilis ejus est  
proventus & copiosus in locis quibus gaudet , adeo ut manipulatim  
colligi queat , ac in fasciculos contrahi .

Cauliculi admodum exigui sunt & recti , in latitudinem vix se expor-  
rigentes : Folia longiuscula sunt & denticulata , acria & amara : Flo-  
res purpurei & odoratissimi cum suavitate . Prodeunt secundum uni-  
versam longitudinem scapi promiscue cum foliis .

Colligendæ sunt summitates istius plantæ cum floribus insignita est ,  
ad id serenum eligendo tempus ; montanas cæteris præferendo , ferta  
conficiendo , & ritu aliarum plantarum exsiccando .

## CAPUT L.

## DE FOLIO INDO.

*Indicum sumes Folium virescens  
æmulum Lauri, similemque Nardo,  
Cinnamo, Maci, tibi & saporem  
sicut odorem.*

**M**ulta cum verisimilitudine credimus Folium Indū, Malabathrum alias dictum, ad nos translatum, suppositum non esse folium, sed reapse Folium esse Indum; Eos vero qui censuere Folium hoc radice carere, aquis innasci & innatare non secus ac Lenticulam palustrem, admodum hallucinatos esse: Folium hoc plus nimio aromaticum est, ac probarum dotium nimium tenax est ut absque radice supra aquas ortum ducere queat: Ejus descriptio à *Garcia ab Horto* tradita testimonium validum suppeditat adversus eos qui perperam credunt nos illo carere, & ad notitiam comparandam illius quod ad nos pervenit, hodierna die ad Theriacam à cunctis Pharmacopoeis receptum.

Folium hoc refert ea quæ profert malus Citria, coloris est viridis pallescens, tribus donatum nervis admodum distinctis, per universam folij longitudinem progradientibus, admodum laxe est & superna parte splendidum, sat tenue, admodum aromatico odore imbutum, ad Nardum accedente Cinnamomum, Macim, Caryophyllos.

Folium hoc profert procera arbos in regione Cambaya, plurimisque aliis Indiæ locis, Imo non raro occurunt extremitates ramorum arboris, quibus adhucnum adpendent nonnulla folia ad nos delata; extremitique illi ramusculi cortice integuntur admodum aromatico.

Illi etiam decepti sunt, qui censuere Folium ad nos transmissum aliud nihil esse quam Lauri folium, quandoquidem illius magnitudo, nervorum dispositio, odor & sapor maximum inter illa discrimen manifestum faciunt.

Accurata cura indaganda sunt Folia recentissima virentia & integra, à quibus nullæ notarum à nobis adsignatarum absint: Præparationem vero quod spectat, abscedendus solum est pedunculus cum parte lignea, si quæ forte adhuc adhæserit.

## CAPUT LI.

## DE CHALCITIDE.

*Rubra Chalcitis nitet in fodinis,  
æneum Misi comitans, Soriique,  
lineas præbens croceas, & Aeris  
æmula præstet.*

**A** Ntehac Chalcitis multum torsit ingenia quamdiu in notitiam non pervenit, ac copia illius non adfuit; At ab aliquo tempore dubium omne remotum est: Ij vero qui neque curæ neque impensis parcunt, nullo negotio illam sibi comparare possunt.

Prior *Galenus*, quem plurimi Doctores sequuti sunt, in ea sunt sententia Chalcitidem, Sori & Misi in fodinis cupreis natales habere, ibique occurtere sibi invicem incumbentia & superstrata, Sori videlicet, utpote maxime terrestre, infimum obtinere locum, Chalcitidem medium, Misi autem supremum, neque alia ratione quam puritate ab invicem dissidere: Idem *Galenus* asserit à se observatum labente tempore hæc tria vicissim in se transire & commutari.

Legitima Chalcitis coloris est cuprei, intus obtinens quasdam venas flavas & pellucidas; Saporis est vitriolici, ad ignem liquefcens si solitaria crucibulo imposita fuerit: Facilem etiam in liquoribus aqueis dissolutionem nanciscitur; In minera, à terræ calore centrali coctionem majorem adeptum est quam Vitriolum vulgare, cuius ope colorem rureum consequuta est: Illa vero coction tam lente progressa est, adeoque moderata, ut Chalcitidis acrimonia vix major quam in Vitriolo deprehendatur.

In eorum vero sententiam descendere nequeo qui ad Chalcitidis præparationem ustionem requirunt, ejus emendationem hac ratione sperantes; tantum enim abest ut scopum adsequantur, quin potius illius acrimoniam adaugeant, dempta parte aqua, cæteras temperante & quasi frænum injiciente: Rati sunt illi se adhibito igne, in Chalcitide adepturos id quo ipsam spoliant; atque adempturos id quod revera intendunt & augent, acrimoniam scilicet, quæ recedere à Chalcitide nequit nisi per omnimodam illius destructionem.

Neque hoc paclio qualitatem Emeticam à Chalcitide abstrahere licet, quæ illi cum cæteris Vitrioli speciebus communis est, in sale illius fixo

fixo sita , quod cum postremum una cum terra in fundo Retortæ occurrat , post egressum spirituum , ope ignis violenti per plures dies produc̄ti , inde tandem nonnisi accedente in aqua dissolutione abstrahi potest , neque rite secerni à terra quam filtrationis ope , qui vel levissima Chimicæ artis cognitione sunt imbuti , adsensum proculdubio his assertis daturi sunt.

Neque iterum illis consentio qui existimant Chalcitidem hac demum de causa Theriacam ingredi , ut scilicet color niger huic ab illa concilietur , quandoquidem si absque ustione in usum veniat Chalcitis , Theriaca nihilominus eundem exhibet colorem nō sec⁹ ac si omissa illa fuisset , videlicet fuscum elegantem : Sin igni immittatur Chalcitis , rubrum colorem induit & incandescit non secus ac cæteræ Vitrioli species , quo fit ut qui id inconsulto adgressi sunt , negotium sibi peperrint , cum capropter Theriaca ab illis præparata plus justo rubicundiori fuerit , ob nimiopere eductam , Chalcitidis ustionis ope , tinturam : Idem contingit iis qui perperam Vitriolum rubefactum vice Chalcitidis usurpant.

At vero , ut ne nimium adhæream vi alexiteriæ ab authoribus Chalcitidi assignatae , quæ in Theriacam transeat ; illud apud me ratum , potissimam , ac maxime manifestam functionem , hanc esse , ut efficaci vi juvet coniunctionem & unitatem facultatum cæterorum omnium simplicium Theriacam ingredientium , beneficio videlicet fermentationis quam aciditate sua promovet plusquam quodvis aliud medicamen Theriacam subiens ; etiamsi Acacia & Hypocystis non inutiliter in partes veniant ; at vero posteriorum horum vis Chalcitide plurimum inferior est.

Nulla ergo ingruit necessitas ut de succedaneis solliciti simus , dimisfa Chalcitide , quandoquidem nullo negotio se offert , etiamsi non vilii pretio : At vero ad hujus compositionis structarum neque sumptibus neque curæ parcere debet artifex .

Nulla præparatio mihi occurrit quæ Chalcitidi debeatur ad dispensationem , mixtionis vero tempore hoc requiritur , ut dimissa ustione , quam improbam censeo , in vino illius fiat dissolutio , quo magis accurata exsurgat coniunctio & unitas cum cæteris ingredientibus ; atque ut fermentationem felicius perficiat , cui præcipue , perfecta Theriaca & recondita est attendenda .

## CAPUT LII.

## DE GENTIANA.

*Gentij radix habet ista nomen  
longa fit, latis foliis, in altis  
montibus nascens, levis atque amara  
lutea, rara.*

**G**entiana in excelsis montibus nascitur, locis aliquantum irriguis: Gentius Illyriorum Rex exploratas illius habuit virtutes, eoque nomine donavit, haec tenus superstite.

Foliis ad plantaginem utcunque accedit, aut potius Hellebori albi, iisque maximis: Scapus illius crassitie est pollicaris, aliquando superat, laevis & cavus, ad bipedalem & amplius altitudinem assurgens, nodis distinctas, unde plurima maximaque erumpunt folia, in cacumine autem flores, postmodum semen, quod latum est, leve & hispidum.

Illi radices intra terram in plurimas particulas dividuntur sicuti radices Althææ, sed multo crassiores & longiores: Color interne flavescit & externe, substantia autem viscida quandiu adhuc recentes, sed quæ raritatem dum ad siccitatem vergunt adipiscuntur; Sapore sunt acerrimo & amaro.

Sola radix in usum advocanda, quæ succulenta usurpanda est, carie nequaquam exesa; evulsa, exsiccata, & recondita iuxta methodum à nobis traditam pro ceteris radicibus.

## CAPUT LIII.

## DE ANISO.

*Cognitum cunctis satis est Anisum.  
fit recens, mundum, solidum virensque,  
dulce mandenti sapiat, suavem  
reddat odorem.*

**A**NISUM adeo vulgare est, & omnibus cognitum, ut id describere superfluum videatur, aut carmine aut prosa oratione; Sufficit id succi-

succulentum elegisse , mediocriter viride , saporis dulcis & grati, leniter mordacis ; à pulvere probe id excutiendo, pedunculis aliisque extraneis, id accuratissime expurgatum dispensando.

Interim censura dignos censeo eos qui id ad præparationem torrendum censuere , eoque pacto idoneum quod Theriacam subeat reddere; Prætermisso enim usu illius quotidiano ad rem medicam, panificium , &c. quos in casus nemini in mentem venit ejusmodi præparatio; proculdubio supponenda est omnimoda ignorantia partium Anisum constituentium , quæ ejusmodi præparationem , aut potius dectructiōnem invexerit: Vel rudi enim tyroni notum in Anisi distillatione, etiam aqua addita , sicuti de more, Oleum illius subtile & æthereum illico una cum aqua superiora petere, vel lenissimo adhibito igne ; Cum porro quicquid in Aniso præstantissimum est in parte illius oleaginea & spirituosa situm fit, torrefactionis vi illico dissipata optima hac parte, qui ad illam configuiunt paleam sibi reservant rejecto grano ; Id quod adeo notum ut contradicturum aliquem vix crediderim.

## CAPUT LIV.

## DE FOENICULO.

*Acre Fœniculum, comitans Anisum,  
longius forma, sed idem notatum,  
viribus, gustu nec odore multum  
dispar utrumque.*

**N**on minus notum est Fœniculum quam Anisum , neque prolixiori eget sermone , Hoc solum adducam , Fœniculum dulce , & exultum , præsertim Florentinum, agresti in hac dispensatione esse anterendum , non modo ratione saporis grati & aromatici , sed præsertim magnitudinis , elegantia & viridescentis coloris , ac præterea non pauca insuavia medicamina tum sapore tum odore , Theriacæ nostræ sese immisceant , adeo ut omnino admittenda sint illa quæ grati aliquid præ se fereant.

Expurgandum est , & dispensandum Fœniculum eadem ratione quam de Fœniculo adduxi.

## C A P U T L V.

## DE HYPOCYSTIDE.

*Stypticus, coctus, niger iste succus  
exit ex quadam crocea, tenella,  
parte, quæ Cistum, veniente vere  
surgit ad imum.*

**C**istus suffrutex est, cuius folia fere rotunda, hispida, aspera & alba, florem gerens purpureum; Plurimus occurrit in locis aridis, Provinciæ & Galliæ Narbonensis; variæ illius dantur species, sed non omnes Hypocystidem producentes.

Cistidum cunctarum præcipua facultas in adstrictione sita est, quæ potissimum in Hypocystide eminet, adeo ut non parum hac vi cæteras plantæ productricis partes superet.

Hypocystis ergo surculus quidam est, ad imum Cistum enascens, specie fere fungi, Orobanches propemodum figura, colorem obtinens flavescentem, commixtis interstitiis obscuris, nodos quasi effingentibus, illis non absimiles quos in radice Nymphææ observamus: Hi sarculi aliquando magnitudinem adæquant unius, duorum, imo trium pollicum; digitalis longitudinis, & nonnunquam manus, cylindri forma se efferentes, at paulo versus summum quam imum, aut originem, crassiores; circa cacumen effigiem balaustii exhibentes.

Surculi isti molliusculi sunt nec pistillo multum obsistunt; succi admodum pleni, circa Maii mensis finem exsurgentes, ab expressione effundentes succum nigricantem & acidissimum, qui rite depurandus est, ac demum lento igne decoquendus in vase fictili probe vitreato, ad consistentiam extracti solidiusculi, quod Hypocystis est ad Theriacam nostram expedita.

Etiam si vero metuere non debeamus ne Hypocystis ad nos ex Gallia Narbonensi allata, aut Provincia, adulterium passa sit, cum toto illo tractu nulla occurat planta, aut hac commodior aut vulgarior, ex qua succus extrahatur colore aut viribus ad Hypocystidem accedens, nihilominus tamen cum qui præparando isti Extracto artifices incumbunt, cuncti noti sint, ac præterea majorem justo quantitatem eliciant, vilique nimis pretio exponant quam ut in illius præparatione omnino accuratos fuisse verosimile sit, incidendum est, aut contundendum succus

Hypo-

Hipocistis ad nos allatus , isque in aqua limpida igne moderato subdito dissolvendus , per chartam empogeticam dissolutionem trajiciendo , secernendarum ergo fæcum & partium terrestrium forte commistarum , liquorem hunc postmodum , eo modo depuratum , vase fistili rite vitreato exceptum ad Extracti solidiusculi consistentiam evaporando igne lento . Hac methodo depurandi gratia succi Hypocystidis in Theriaca à me dispensata usus sum ; experimentoque compertum habui plurimas fæces in illo succo latitare à me non fine ratione separatas & abjectas.

## CAPUT LVI.

## DE GVMMI ARABICO.

*Lucidum Gummi , quod Arabs beatus possidet , quæres nitidum , recensque glutinans , album , grave , leve forma vermiculatum .*

**D**E hoc Gummi , admodum variæ fuere Authorum sententiae , ac potissimum quia in plurimis Theriacæ descriptionibus *Gummi* nomen inter cætera ingredientia occurrit , absque ulla determinatione : Authorum nihilominus maxima parte censente Andromachum per Gummi vocem Arabicum subintellexisse : Neque tamen hoc prohibuit quin plurimi existimaverint id quod pro Gummi Arabico usurpamus , nihil aliud esse quam congeriem ac misturam plurium Gummatum aqneorum in diversis arboribus lectorum , exempli gratia Cerasis , Punis , Amiygdaliis plurimisque aliis similibus , tantum vero abesse ut id ex Arabia aut Ægypto arcessatur , ut id in Gallia colligatur aut regnis vicinis .

Etiamsi vero nemini dubium sit quin & Amygdalus , & Prunus , & Cerasus , plurimæque aliæque in Gallia arbores suppeditent nobis Gummi nonnihil forma , colore , consistentia , sapore , quin imo & viribus ad legitimum Arabicum accedens , id tamen nequaquam prohibet quin ad nos pervenire queat id quod Arabici nomine donamus , five ex Arabia asportetur , five Ægypto , aliisve remotis regionibus .

Imo etiam opinioni locus est Gummi ab Andromacho expetitum in Ægypto provenire ; genitum in arbore eadem spinosa qua profert fructum ex quo elicitur succus quem vocant Acaciam veram , de qua mox verba facturi sumus .

Nihil inquam prohibet quin curæ nobis esse debeat genuinum Gummi advocandi , quod clarum sit & instat vitri pellucidum , in ore glutinosum , purum & nitidum , sapore fere insipidum , substantiæ solidæ & lœvis coloris albi , ad viride nonnihil tendentis , aliquomodo , ad gratiam , contortum , vermisque figuram quasi referens : Ejusmodi occurrere potest si modo studium non defuerit : Id Gummi sic delectum in dispensationem venire poterit , nulla alia agens præparatione .

## C A P U T L V I I .

## DE CARDAMOMO MINORE.

*Hoc minus forma cape Cardamomum  
cæteris præstans , grave & angulosum ,  
pallidis tectum siliquis , odore  
naribus acre.*

**E**tiamsi nonnulli dubitaverint num Granum Paradisi (*malaguette* Gallis) species sit Cardamomi , non modo tamen id astruo , sed & pro Cardamomo majori constituo , siliquæ magnitudinis habita ratione , Ficus formam hæc refert , multoque major est quam cæterarum Cardamomi specierum quæ nobis offeruntur : Sapor , odor , color & granorum figura , imo & color , ac substantia , siliquæ , adeo accedunt ad alias Cardamomi species , ut dubitandi ratio apud me nulla sit : Siliquæ Cardamomi , cui Medii cognomen est , multo minores sunt quæ Grani Paradisi , *malaguette* dicti , triangularis formæ , oblongiusculæ , anguloſo ſemine ſcatentes , purpurei coloris , ſaporis acris & mordacis : Minimi Cardamomi siliquæ adhuc multo minores sunt quam Medii , figura quoque triangulari donatæ , granisque etiam purpureis , angulosis , ſaporis acris & mordacis , odorisque penetrabilis & gravis .

Cardamomi omne genus Indiae ſuppeditant , Calescut , Malavar , Java , aliæque regiones : Ii qui accurate perpendere voluerint tres has Cardamomi species , proculdubio minus aliis duobus prælaturi sunt , quæ ſapore plurimum antecellit , odore & viribus ; ſuffragio quoque adprobatur illos qui id admiferint .

Eos vero qui id dispensaturi ſunt moneo eligant ſiliquas gravissimas , ac minime inanes , abjectis granis omnibus nigris , rugosis & exsuccis , aſſumptis ſolum iis qui maxime vividi ſunt coloris , ſolidissimi & gravifimi , maximeque aromaticam vim ſpirant : Probe dicta grano mun- dent non ſolum ſiliquis , ſed omnibus membranulis , cunctisque ſordibus

## CAPUT LVIII.

## DE SESELI MASSILIENSI

*Caulibus tortis, foliisque densis,  
semen oblongum dat, & angulosum,  
mordet & linguam Sefeli vocatum  
Massiliense.*

**S**eseli notissimum est in Gallia Narbonensi & Provincia, imo & Provinciis vicinis: juxta vias nascitur & in locis incultis, tum in planiciebus tum montibus: Ejus radices, folia & caulis admodum aromatica sunt; Semen autem cunctas plantæ partes antecellit, idque solum ad dispensationem advocandum: Iстius plantæ scapus est rotundus, ac proxime radicem in plurimos ramos subdividitur, intortos & dissitos, quapropter nonnulli illi nomen Fœniculi Tortuosi indidere, tum ratione ramorum intortorum, tum quia folia & semen ad id quod producit fœniculum proxime accedunt.

Floridum est Sefeli circa æstatis finem, exiguo emittens flores albos in umbellarum summa parte, propemodum illis similes quos profertur aliæ plantæ ferulaceæ: Flori excusso succedit semen quod maturescit circa festum omnium Sanctorum: Depressum est quodammodo hoc semen, angulosum & oblongum, admodum acre & aromaticum, non multum recedens à figura Fœniculi sylvestris.

Collendum hoc semen omnino maturum, cum vero serius maturescat; eligenda erit in id dies serena, potius quam ad quodvis aliud semen: Colligatur succi plenum, colore ex viridi pallescens, repudiando id quod candicans evasit, quippe quod plantæ diutius quam par est inhæserit, non secus ac id quod ob nondum adeptum maturitatem ideo minus est & exsuccum.

Eadem adhibendæ sunt cautiones in collectione Seminum Anisi & Fœniculi, aliarumque plantarum umbelliferarum, neque enim cunctæ umbellæ eodem tempore maturitatem consequuntur, neque æquale nutrimentum suscipiunt, cum uberioris ad alias quam has accedat, quod sit ut si semina hæc perfectionem adepta optaveris, eligendæ sint & colligendæ ex planta umbellæ prout perfectionem obtinent, plantæ, relictis iis quæ immaturæ sunt.

Delectum ea ratione semen, exceptum incerniculo, aëri libero ex-

ponendum est , nec recusato Sole si illucescat; id exsiccatum accurate perpurgandum est, sicuti de cæteris seminibus dictum est.

## C A P U T L I X.

## D E A C A C I A V E R A.

*Spina in Aegypto, siliquis opertos  
exhibit fructus, acidos, acutos,  
Ex quibus tuis rubicundus exit  
succus ad usum.*

**D**IU olim in Gallia succo veræ Acaciæ catendum fuit, quamobrem plurimi in eam venere opinionem , fictitium illum esse, & ens , ut ajunt , rationis ; succedaneus necessario fuit succus prunorum agrestium , ad extracti solidi consistentiam coctus , utpote miræ adstrictio- nis particeps , & ab arbore spinosa, non secus ac ea quæ Acaciam pro fert genitus : At vero hodierna die sollicitudo hæc nos non detinet, nec angit , quandoquidem cura Materialistarum Massiliensium , vel aliorum , quibus commercium cum Ægyptiis semper intercedit , ac illis qui præcipuas orientis urbes incolunt in confinio maris Mediterranei, non difficulti negotio , etiamsi pretio non vili, verum succum Acacia comparare nobis licet , ad nos delatum conclusum exiguis , iisque tenui bus vesicis , in orbem congregatis, unaquaque ponderis quatuor uncia rum, aliquando sex, quinimo & octo.

Arbor Acaciam producens procera satis & spinosa depingitur, ramos in latitudinem potius quam in altitudinem diffundens : Ajunt Flores albos esse & elegantes , quibus clapsis succedunt siliquæ turgidae, succulento fructu , magnitudine & forma lupinorum, è quo per expressionem elicetur succus , postmodum exsiccandus , in cunctos mundi cardines deferendus.

Scribunt præterea quo plus maturescit fructus eo magis nigrum adparere illius succum ; id quod rationi consonum est ; Ex mea vero sententia fructus, è quo succus qui ad nos defertur eductus est, proculdubio collectus est ante perfectam maturitatem , quandoquidem nigrum colorē non exhibit , sed rubrum eumque non inelegantem, substantia solidæ & compactæ , mediocriter gravis , nihilominus non difficulter fragilis, si globuli illi ad nos delati malleo concussi fuerint ; interiori parte se exhibentes puros , nitidos & lucidos : Sapor illius leviter linguam vellicat, admodum stypticus, sed gratus.

Si

Si quæ Acacia cunctis hisce notis insignita occurrat, admittenda illa est & adprobanda: à cuius probitate plus minusve recedere censenda est quæ pauciores aut plures notas obtinet.

Ad ritam istius Acaciæ dispensationem, primo à vesica obvolvente illa liberanda est, quæ si admodum ad purpureum colorem accedat, elegans sit, pura, splendida, grumos nullos interius post effracturam exhibens, citra alium adparatum in dispensationem veniat; alias scindenda erit, aut in minutas particulas constringenda, ac in aqua limpida dissolvenda, excepta vase fictili optime vitreato, subdito modico igne: Peracta dissolutio calens per chartam emporeticam transmittenda, humidum superfluum igne lento absumendo, liquorem deinde transcolatum ad extracti utcunque solidi consistentiam coquendo, sicuti de Hypocystide præmonuimus.

## C A P U T - L X .

## D E T H L A S P I .

*Semen oblongum, rubidum, rotundum,  
Thlaspeos, acris calidique gustus,  
capsulis tectum, spoliis carensque  
sumito mundum.*

THlaspi in Gallia non ignotum est, præsertim in Provinciis mari Mediterraneo vicinis: In fossarum marginibus provenire solet; Totâ planta in pedalem altitudinem vix assurgit, caulis sat est exilis, è quo erumpunt folia digitalis fere longitudinis, versus basin latiora, in acutum desinentia: Scapus circa medianam partem in plurimos ramusculos dividitur, quorum unusquisque semipedalis fere est longitudinis, eo rite dispositos quo in planta Candelabrum regium dicta: Circumcina illos ramusculos eminent exigui flores albi, quibus deciduis succedunt parvæ siliquæ, depressæ, fere lentiformes, quibus concluditur semen quod perpetuo binum situm est in unaquaque siliqua; Semen hoc rotundum est & oblongum, tantisper acuminatum, coloris flavi ad rubrum vergentis; quod tamen diutius adservatum obscurum contrahit, vel rubro fulvum; saporis acris & mordacis.

Solum semen ad Theriacam admittitur, repudiatis cæteris omnibus plantæ partibus: Collendum est maturitatem adeptum, intra siliquam exsiccantam, è quibus postmodum nullo negotio egressorum est

manuum affrictu, demum scapo chartæ, quasi vanno exceptum, inibi purum remansurum est, siliquarum particulis extra scapum excusis in terram, Semen nulla alia prævia præparatione in dispensationem veniat.

## C A P U T L X I .

## D E H Y P E R I C O .

*Illiis plantæ carpe summitates  
Dæmonis quæ mox fuga, mox Iohannis  
herba censetur, croceoque multo  
flore comatur.*

**H**YPERICUM, alias Herba Perforata, ob multitudinem insignem exiguorum foraminum in foliis conspicuorum cum apertæ luci expoununtur; pluribus aliis idem donatur nominibus, insignibusque præditum censetur dotibus, adeo ut fuga Dæmonum credatur, si fides authoribus id afferentibus.

Planta est notissima, iuxta vias plerumque crescens, in sylvis aliisve locis incultis: In pedalem se erigit altitudinem, aliquando cubitalem; caulis illi rotundus est & subruber, in plurimos diductus ramusculos, coopertos plurimis exiguis foliis subrotundis, oblongis, viridis coloris saturati: In cacumine flores flavi erumpunt, leviter odorati, qui non secus ac folia contriti & expressi succum admodum rubrum fundunt, Præmissis floribus profert exiguum semen rotundum, oblongum, colore flavum, ad rubrum vergens, siliquis subrubris inclusum magnitudinis fere & formæ seminis hordei, sed brevioribus & crassioribus.

Sola plantæ cacumina in usum accersantur, quæ die serena legenda, cum maxime florida est; Ex hac ferta colliganda, charta pura obvolvenda, eademque ratione exsiccanda qua reliquæ plantarum summitates.

## C A P U T L X I I .

## D E A M M I .

*Ammeos semen, referens arenam,  
unde sic dictum, tenerum, subalbum*

*Creticum*

*Creticum præstat, similem Thymoque  
reddit odorem.*

**A**mmi rarius olim occurrebat, sed hodierna die plurimis in hortis excolitur: Optimum autem & genuinum ex orientalibus plagiis affertur, cuius duæ offeruntur species, forma quidem non multum dissimiles, at vero sapore & odore diversæ, etiam si utraque aromaticum valde emitat odorem.

Cretense omnium optimum censetur, sapore inter origanum & thymum ambigens: Odor & sapor alterius admodum discrepant, sed non parum aromatici, ad Seseli Massiliense accedentes.

Ammi caulis non parum se effert, plurimos emittens ramulos, in quorum summo ex crescunt umbellæ ac exigui flores albi; quibus semen succedit, subrotundum, oblongum & tenue, forma accedens ad grana arenæ, à quibus nomen desumpfit; Folia ad modum exigua, & angusta, propemodum qualia profert Anethum.

Solum semen requiritur, cui libet autem anteferendum est Cretense, sapore, uti dixi, medium inter Origanum & Thymum; satis que est recens admisisse, succi plenum, atque ante dispensationem accurate per purgatum.

## C A P U T L X I I I .

### D E S A G A P E N O .

*Sit Sagapenum feriens odore,  
Intus albescat, leve, lacrymosum;  
pingue, subrubrum, patriaque Medium;  
molle recensque.*

**S**agapenum, Serapinum alias dictum, quod ad Pini odorem accedit, Gummi est ex planta ferulacea, in Media nascente manans; dissolvi potest in aqua, vino, aut aceto; Odoris est gravis & insuavis, saporis acris & subamari.

Scriptores ajunt Sagapenum fulvum esse debere exterius, interius album; id quod concedo quamdiu recens non est, decursu enim temporis rufus color, imo & ruber, quinimo & rubrofuscus, omne genus gummi inficiunt, praesertim quoad superficiem.

Hoc vero verissimum trado, quod cum anno 1650. nundinis Bello-

quadrensis in Gallia Narbonensi adfuisse, cum planitiem vastam ingressus essem, in qua Materialistæ medicamina & merces ex orientalibus regionibus advecta venalia exponunt, me obvium habuisse in taberna Mercatoris, in qua prostabant Lanæ, Tapetes Turcici, Sulphuris & Aluminis species variæ, aliæq; viliores merces, capsulâ ponderis viginti quinq; circiter aut triginta libraru, Sagapeni lacrymis refertâ, obviâ habuisse, adeo candidis & elegantibus, ut candore Lactis æmulas esse assim afferere, non minus in superficie quam interiori parte, quæ ideo notitiam quorundam Pharmacopœorum mihi familiarium subterfugiebant, quibus prius oblatum fuerat Gummi; Nec abnuo ad primum conspectum, insolita albedine in admirationem pertrahente, in illius notitiam nequaquam devenisse, ut neque cæteros, odore solo gummatis ad illam deductum, & Sagapenum esse mihi affirmante non secus ac cæteris: Quatuor illius libras mihi comparavi datis duobus coronatis argenteis, ipso Mercatore ignaro & nominis & facultatum Gummati, quæ cum ipsi perspecta fuissent, deinceps pretium dimidia parte adauxit.

Gummi hoc postmodum admissum ad Theriacæ compositionem paulo post à me suscep tam: Cum autem Gummi istius maxima pars superstes esset, à me observatum sensim colorem illum album recedere, ac vetustate fulvum induere, Nec spes est ut tota vita quicquam simile mihi occurrat; neque in ea sum opinione vel me, vel alium quemvis, impelli debere ad disquisitionem Gummatum ejusmodi candore præditorum, vel æque recentium quale istud fuit: Id ratum habens, dummodo eligatur Sagapenum purissimum, cuius lacrymæ utcunque ad candorem accedant, compositionem dotibus requisitis donatum iri; lacrymæ enim candor hac diffracta se exhibitus est, dummodo vetustate exoleta non sit: Lacrymarum autem accurate eletarum dispensatio poterit fieri; cum præterea vires Sagapeni, Opopanaxis, aliorumque similium Gummatum, diutissime citra detrimentum conservari queant.

## DE ARISTOLOCHIA MINORE SEVTENVI.

*Inter insignes varias, minorem  
sume radicem, tenuem vocatam:  
flava sit, fætens, tenera & saporem  
reddat amarum.*

**A**uctores plurimas Aristolochiæ species nobis exhibent, quibus non paucas adsignant vires nullo fere facto discrimine: Etiamsi porro quævis species suum patronum nacta sit, nulla tamen, ex communi omnium consensu cæteris omnibus præstantior habenda est: Attamen cum officij nostri sit hoc loco, & ubique, quantum concessum est Andromachi scopis satisfacere, à nobis Tenuis, aut Minima accipienda est, quandoquidem hanc præcipit.

Ab Authoribus tamen duæ illius adnotantur species, unam vocant Clematitem, aut Saracenicam, cuius radix multo prolixior est & tenuior quam Longæ: Alteram Pistolochiam dicunt, pluribus exilibus radicibus simul connexis donatam, barbæ formam referentibus.

Clematitis hæc admodum in controversiam adducitur; etiamsi porro pro Tenui haberi possit, si ad Longam & Rotundam illius comparatio instituta fuerit, nihilominus ex accurata Scriptorum lectione facile colligere est multo magis illam idoneam esse ad confectionem unguentorum quam compositionum interius adsumendarum: Cæteris quippe speciebus potior habita fuit ad prædicta unguenta, ratione videlicet odoris, qui non ut cæterarum insuavis est; cum vero ab illis diffideat, tum sapore, tum odore, ex mea sententia illa cui Pistolochiæ nomen inditum fuit ad Theriacæ compositionem potior accessenda, non modo quia revera radicem obtinet tenuorem cæteris omnibus Aristolochiæ speciebus, sed quia non dissimili sapore, odore, eodemque colore ac cæteræ præcipue Aristolochiæ; Rotunda scilicet & Longa, prædicta est.

Dosis autem Aristolochiæ in hac Compositione justo minor est quam ut verosimile sit eos qui speciem unam pro altera usurpaverint totius compositi viribus plurimum detrahere posse, cum plurima alia, eaque præstantissima medicamenta, imo majore dosi præscripta, intersint quæ damnum ea parte illatum resarciant; Tenuem nihilominus hanc Aristolochiam amplexor, quæ Pistolochiæ nomine insignita fuit, quam & admisi omnium suffragio in mea dispensatione confirmatam.

Id vero adducam, admodum illam familiarem esse & notam in Gallia Narbonensi & Provincia, in sylvis provenire, locisque aridis & petrosis, plurimos caulinulos ex se emittere pedalis circiter altitudinis: folia illi quam cæteris Aristolochiæ speciebus multo minora esse; Eandem tamen obtinere formam, eundem colorem, odorem, sicuti & flores: Tenues habere radices, summa parte, beneficio exigui trunci connexas: manus circiter longitudinem obtinere, aliquando majorem; superficiemque terræ illico contingere, quam directe subeunt & subintrant,

alblicantis esse Coloris, ad flavum inclinantis ; Saporis esse acris & amari ; Odoris gravis & insuavis ; ideoque plurimum accedere ad radices Aristolochiae longae & rotundae.

Radices solæ hanc compositionem subeunt, veris principio colligendæ, statim ac folia prodere se incipiunt : Hæ accurate abluenda & expurganda, demum procul à radiis Solaribus exsiccanda, sicuti de cæteris radicibus à nobis indicatum.

## C A P U T   L X V .

*D E D A V C O C R E T E N S I .*

*Daucus oblongus, redolens, acutus,*  
*Creticus præstat, foliis tenellis,*  
*candidus florens, teretis Cumini*  
*semen adæquans.*

**P**urimæ dantur Dauci species, inter quas Creticus reliquis eminet, cui foliorum similitudine cum fœniculo convenit, si tenuitatem excipias ; umbellæ quoque non parum ad id accedunt : Caulis sesquipedalis est aut circiter altitudinis ; Semen longem candicans, nonnihil hirsutum, à Cumini figura non multum recedens.

Semen hoc gustui se præbet calidum & acre, sed præterea non insuavis est saporis & odoris; nascitur in locis petrosis & montibus, inter rupes.

Solum hic admittitur, collendum recens & succi plenum, notis à me indigitatis insignitum : Probe repurgandum, excusso pulvrey, abjetis cunctis superfluitatibus.

## C A P U T   L X V I .

*D E B I T V M I N E I V D A I C O .*

*Lucidum jungo Sodomæ malignæ*  
*innatans falsis lacubus Bitumen,*  
*impetens nares, graveolens, opacum,*  
*læve, rubescens.*

**B**itemen Judaicum occurrit innatans immenso Lacui, quem vocant Mare mortuum, non procul à locis in quibus olim sitæ urbes Sodoma & Gomorrah, aliaque loca circumdata, quæ igne cœlesti consumpta aquis his immersa fuere: Vastus admodum est hic Lacus, adeo salinus & amarus ut nullus piscis vitam in illo trahere possit; nihil consideratione dignum præter hoc Bitumen præbens, quod nihil aliud est quam materia pinguis, unguinosa & inflammabilis, è terra huic Lacui subdita eructata; quæ cum Petrolei species sit, liquidaque prodeat, super salinas has aquas evehitur, quibus innatat, nec enim præ levitate in fundo subsidere potest; A calore vero Solis excocta, in duram consistentiam abit & solidam, cuiusmodi nobis offertur.

Inutile porro foret si hoc loco digrederer circa varietatem materiarum bituminosarum, & flammæ rapacium, è terra aut rupibus manantiam, cuiusmodi sunt Oleum Petroleum, Naphtha, Gagates, Ambra grisea, Succinum Album, Flavum, Nigrum, Sperma Ceti, illisque adfinia, cum extra rem à me tractandam versentur, nec Theriacam subeant.

Satis mihi fuerit præcipuas hujus Bituminis notas adduxisse, Id vero nitidum esse debet & purissimum, splendidum, præsertim confractum, odoris gravis & ingrati, substantiæ mediocriter compactæ, at levis & fragilis, coloris purpurei obscuri. Nulla illi debetur præparatio ante dispensationem.

## CAPUT LXVII.

## DE OPO PANACE.

*Succus ingratus, croceus, Panaces.  
herba quem purum dedit, est amarus,  
intus albescens, tener & liquandus  
pinguis in unda.*

**O**Popanax Gummi est incisione facta cauli, aut summæ radici plantæ ferulaceæ, cui nomen Panax Heradeus, effluens, ubertim in Bæotia nascens, & in Phocide Achaię, ac in Macedonia, cuius folia sunt aspera, Ficus foliis non multum dissimilia, quinquisida; Scapus illius excelsus est, gossipio leviter involutus, insignem umbellam in cacumine gerens, floribus flavis insignitam, quibus succedit semen linguam adurens, sed odoris validi; Radices albæ sunt & amariuscule, cortice sat crasso obvolutæ.

Ex incisa hac planta stillat Opopanax, liquidus & albus initio, sed qui postmodum exsiccatur, paulatimque in superficie aureum induit colorem.

Eligendum Opopanacum admodum recens & purissimum, cuius lacrymæ externa facie fere aureæ sint, interiori autem parte non parum albæ: Læve esse debet conformatum, pingue & fragile, sapore amarum odore gravi, facile in aqua dissolubile.

Accurate electum Opopanax citra præparationem in Theriacam admittendum.

## C A P U T LVIII.

## DE CENTAVRIO MINORE.

*Tale Centaurus quod habet reliquit  
nomen huic plantæ, sapor est amarus,  
Purpuræ flos est similis, comosus,  
mollis, odorus.*

**C**entaurium minus irriguis locis gaudet, & paucis tribus montanis: Pusilla est planta, cuius caulis exilis est & quadratus, manu paulo elatior: Folia oblonga gerit, in acutum desinentia, ex viridi flaventia: Flores admodum exiguos, subrubicundos ad violaceum dilutiorem colorem tendentes, in umbellæ formam expansos: Centaurium hoc æstate floret: Nomen deduxit à Chirone Centauro sicuti & Centaurium majus: Universa planta admodum amara est, quo fit ut fel terre nominetur.

Tempore sereno colligendæ illius summitates cum admodum sunt floridæ, ac ex iis fasciculi conciunandi, charta alba obvolvendi, exsiccandi, sicuti de cæteris cacuminibus dictum.

## C A P U T LXIX.

## DE GALBANO.

*Galbanum pingue & croceum sit extra,  
intus albescat, grave olens, amarum,  
æmulans Thuri lacrymas, sit acre,  
sorde carensque.*

**G**Albanum Gummi est in vino dissolubile, in aceto ac quovis liquore laqueo; Planta illius parens ab Authoribus non rite descripta est: Ex ferulacearum tamen est genere, ac ejusdem prope cum ea naturæ quæ Opopanax profert: Galbanum eodem modo prodit, inficto plantæ vulnere: Eligenda lacrymæ elegantissimæ & purissimæ, sapore præditæ acri & amaro, odore gravi & ingrato: Quamdiu recentes sunt hæ lacrymæ, color illarum ab albo non multum recedit, ad Olibanum proxime accedens, at consistentia molliori & pinguiori donatae sunt.

Lacrymæ hæ si purissimæ fuerint, & recentissimæ, ante dispensationem nulla indigent præparacione.

## C A P U T L X X.

## DE CASTORE, SEV FIBRO.

*Fætidos Fibri, cerebro salubres  
trado jam Testes, operis coronam,  
Extraho purum, tunicas & horum  
pingue relinquens.*

**E**Tiam si Andromachus in nostra Theriaca Mel & Vinum subdescriptionis finem adducat, colligendorum gratia & concorporandorum, non miuus quam conservandorum omnium medicaminum in finem à se destinatam electorum; nihilominus quandoquidem mel & vinum aliorum tantum causa admittuntur, existimavi me non immetrito operi colophonem impositurum Castorem superaddendo, quandoquidem postremus est tum in descriptione, tum in dispensatione: Adde quod eximia illius vis, & quæ curiositatis plena in hoc animali occurserunt, animum recreant, defatigatum forte ab insigni præcedentium medicaminum examine & numero.

Dicere & liceat Andromachum milites imitatum fuisse, Viperam tanquam legitimum ducem agminis constituentem, Castorem autem ipsius Vicarium; Etiam si porro Viperam antecedant Trochisci Viperni, hi tamen solum anteambulones sunt, ducem illam sequuturi non secus ac cætera medicamina: Vel potius dic *Andromachum*, cum prævideret Theriacam variis temporibus impetum iri, & à variis scriptoribus, capiti & caudæ præfixisse duo animalia, acutis armata in illius defensionem dentibus.

Castor animal est amphibium, modo in fluviis modo in terra degens : Vocatur etiam Fiber : Caput illi non dissimile Muri montano , dentes acuti & acie infesti , corpus contractum & breve, Alvis sat vasta , Pedes anteriores quales in Meli sive Taxo ; posteriores anserinis similes sunt ; Pellis admodum hirsuta , pilorum parte quæ gosfipium maxime refert, ad confectionem galerorum , quos Castorinos vocant, veniente : Cauda depressa est , omnino pilis nudata , tres quatuorve digitos lata , crassitie pollicar , pedali vel circiter longitudine, cineritii coloris, fere ut in Solea pisce marino : Variis nodis in vertebrarum figuram effictis instructa est : Introsum patens in sui exortu , ac quasi excavata , adeo ut vinculis injectis illa parte animal coereri queat , vel manu corripi , ac impune detineri , hinc ut reflecti nequeat morsu impetitum cum qui eo modo hujus compos est , qui id quolibet circumducere potest : Animal istud dimidia sui parte Caro est dimidia Piscis , hinc & quadragesimali tempore , & diebus asarcis , media parte edulesit , postica scilicet , naturam quippe piscium redolens , eorumque saporem.

Testiculi illius, Castori nomine vocati , aliter omnino quam ex plurimorum authorū sententia se habent : Fabulae enim proximum est, imo omnino impossibile , Fibrum ipsum sibi Testiculos dentibus praescindere posse, persequentium prædam futuris & quasi redemptionis pretium, sicuti vulgo traditum est ; quandoquidem non modo intus reconditi sunt , exterius nequaquam prominentes , sed præterea animal nullummodo flexible est , adeout illius dentes illuc pertingere queant , nec magis id illi facile est quam sui : Testiculi quidem in extrema abdominis parte situm obtinuerunt , inter ambo femora , nec procul ab ano sed interius latent , obtecti pelle carnea & hirsuta , universum abdomen cooperiente.

Nihilominus tamen iidem palpari queunt , imo facile ab invicem distingui , ac manu fere corripi , id quod egomet compertum habui in Castore , quem olim vivum in potestate mea habui , emptum Arausio ni à rustico qui ipsum artificio in Rhodani crepidine ceperat , ubi non raro occurrunt , pretium autem fuit trium coronatorum nummorum.

At vero non summe demirari nequeo non solum narrationes fabulosas quæ de hoc animali circumferuntur , de amputatione Testiculorum , sed quod illis fidem adhibuerint viri artem nostram profitentes , alias celebres , Urbis quoque non exiguae famæ incolæ , à Rhodano parum dissipata , quem haec animalia non infrequentia alere certum est ; A quibus traditum Testiculos Castoris , à nobis usurpatos , nihil aliud esse quam excrementum , pellem vero eos ambientem , nimis duram esse

ut pro Testiculorum membrana haberi possit ; minime perpendentibus adventitiam esse hanc duritatem, extra animal contractam , ab immido-  
co videlicet ignis camini calore , sub quo exsiccandi hi Testiculi positi  
fueru.

Affero vero hos Authores, si Castoris Testiculos recentes , mox ani-  
mali ademptos in propria potestate habuissent , cuiusmodi s̄epe mihi  
occurserunt in regione ubi illorum copia est , hos inquam , deprehensu-  
ros fuisse tunicam illos obvolventem , ac quodammodo utrumque diri-  
mentē , nequaquam hirsutam esse , neque externæ speciem ulla tenus ge-  
rere , cum omnino colorem carnis internæ p̄ se ferat , Testiculos  
vero pendulos tantummodo fieri , tunicamque amictus formam gerere  
cum præcedit suspensio & exsiccatio.

Iisdem obseruare licuisset substantiam carneam horum Testiculorum ,  
plurimis iisque exiguis pelliculis intertextam esse ; Subesse vero exiguam  
distinctam cystidem , vel byrsam , qua continetur liquor unctuosus , mel-  
leam consistentiam obtinens : Liquorem porro hunc , non minus quam  
universam Testiculorum substantiam , odoris esse gravis & penetrabi-  
lis , imo mox ex ipso animali eductum : Occurere porto genuinos ejus-  
modi Testiculos , qui probe exsiccati conjunctim pondus quatuor , octo ,  
imo & duodecim unciarum excedunt , neque alios præterea in toto  
animali disquirendos manifestum illis futurum.

Aīo præterea , si accurate ad examen ab ipsis adducta fuisset substan-  
tia carnea horum Testiculorum , rite exsiccatorum , proculdubio eie-  
randam fuisse ab iis priorem opinionem de humore excrementitio ,  
ac veritatem amplexaturos fuisse , neque diem ultimum expectaturos  
ad judicium ferendum de fictitiis istis Testiculis , quos vita ad millesi-  
mum annum producta nemini detegere unquam potuisset.

Ex hoc fundamento , ii qui neque curæ neque sumptibus parcunt ,  
nullo negotio genuinos istiusmodi Testiculos sibi comparare poterunt ,  
quos si probe exsiccatos nacti fuerint , satis illis fuerit partem carnem  
usurpare , repudiata non solum parte unctuosa , consistentia mellis do-  
nata , sed etiam cunctis membranis ac pelliculis internis & externis , ut  
vero res succedat , pars carnea feligenda , postmodum per incerniculum  
rarius tracienda , cujus parti superiori pelliculae inhalans sunt , trans-  
missa parte optima ; hinc ut cuncta stateræ & dispensationi idonea  
fiant.

Interim , etiamsi Authores multas Provincias designaverint tanquam  
Castoris locum natalem , nulla , ut existimo , ingruit necessitas illius  
adeundi comparandi gratia probatos Testiculos ; sed me judice , si com-  
moditas obtinendi concurrat , eosque optimos , nihil ulterius optandum

est : Eapropter cunctis præferre non dubitaverim Testiculos Castorum juxta Rhodanum captorum, non solum ratione habita præstantiæ regionis , & probi alimenti quo his animalibus frui licet , Sed etiam vitandi gratia cujusvis adulterij , quod non raro accidit in Testiculis è regionibus dissitis ad nos albatis, in quibus fraudem detegere non semel mihi licuit , ex artificiosa & dolosa commixtione pulveris Castorij cum gūmatis quibusdam, præsertim Opopanax & Sagapeno, parteq; mellea & unctuosa genuinorum Testiculorum Castorum, de qua verba fecimus: Quæ mistura à me deprehensa in vesicis, Testiculorum in modum turgidis , venundationi expositis impudentur & impune ad decem coronatos pro unaquaque libra , non secus ac si genuini fuissent Castoris Testiculi.

Fraus vero non levi negotio detegitur , eo quod unusquisque Testiculus legitimus à latere, & versus superiore partem , donatus est vesicula breviore, & multo minore ea quæ Testiculo inest, inferius produc̄ta , eadem nihilominus tunica investita ; etiam si vero parte interiori contigua sit, seorsum tamen continetur angusta cavitate , omnino illi peculiari , adeo ut nequaquam commisceatur substantiæ carneæ : Exigua autem illa cystis , quamdiu Testiculi recentes sunt , intra se continent , prout animal majus aut minus est, pondus drachmæ unius ad semunciam usque liquoris unctuosi , limpidi , subalbi, ad flavum colorem vergentis , mellis liquidi consistentia ; Vetus autem idem concrevit in modum adipis , perpetuo odorem exhibens non minus gravem & penetrabilem quam substantia Testiculorum carneæ , qui crassiorē rem multo substantiam , multoque graviorem & solidiorem , obtinent, ac præterea multo inferius devolvuntur.

Subest vero & altera nota , extra omnem aleam posita , legitima videlicet Testiculi pars carnea ubique fibrilis diversis se interfecantibus conspersa est , diversisque membranulis naturalibus; id quod nunquam in fictitiis & factitiis Testiculis occurrit in quibus nullas alias fibras deprehendere datur , neque pelliculas præter membranam ambientem, interiori vere parte continent substantiam plane homogeneam & continuam , etiamsi compositam, & variis commixtis comflatam , ab impostoribus , qui inhiant bursæ illorum qui distinguere non norunt supposititia hæc Castoris marsupia.

Horum Testiculorum virtus nimiopere efficax est , nimoque pretio comparantur quam ut Pharmacopei curam & studium in iis rite di- gnoscendis detrectare debeant ; quin omni artificio declinare fraudes eorum qui illis imponere saragunt, unum pro alio supponentes.

## CAPUT LXXI.

## DE MELLE.

*Esto Mel fragrans, grave, glutinosum,  
aureum, purum, redolens, suave,  
os replens, linguam stimulans, petitum  
tempore verno.*

**M**edicamina unica in regione nascentia alibi quam in nativitatis loco non disquirenda: Aliunde arcessenda sunt Dictamnus, Dauicus Cretensis, ac genuinum Petroselinum Macedonicum: Censerem quoque Athenas proficiscendum repetendi gratia Mel quod Andromachus in Theriacæ nostræ compositionem advocat, nisi aliis in locis ejusdem præstantiæ occurreret. Gallia nostra, plurimarum aliarum rerum feracissima, Mellis quoque non exiguum copiam suppeditat; quod cum affatim suppetat, in tanta ubertate, plurimis in locis nancisci dabitur quod debitam perfectionem attigerit: Mel Narbonense, ac nominatum Corberianum dictum, non procul diffitum, & olim & nunc adhuc celebritatem & famam retinet.

Neque tamen id prohibet quin ex aliis locis Galliæ Narbonensis, & Delphinatus, præstantissimum Mel advehatur, cum illis in locis abunde proveniant plantæ aromatum vi imbutæ, admodum idoneum Apibus alimentum subministrantes; quæ præterea Provinciæ commodissimum situm obtinent excipiendo rori illi cœlesti, qui censemur prima & potissima Mellis pars.

Neque tamen diffitendum *Primo*, Non omnia æque loca unius ejusdemque Provinciæ idonea esse productioni Mellis; experientia enim compertum habemus, ex duobus adversis montium collibus Mel admodum discrepans suppeditari, sive id vario Solis aspedui adsignandum, sive diversati pabuli Apibus occurrentis, *Secundo*, Industriam & artificium non parum conducere elegantia & præstantiæ mellis, cum ex uno & eodem alveari non difficile sit elicere Mel magis aut minus elegans.

Id quoque nosse convenit in montibus reperi Mel elegantius quam in planicie; atque in ipsis montibus loca quæ Boreæ adversa sunt, Soli autem orienti aut Meridiei obversa, maxime Mellis productioni favere, tum quia plantæ aromaticæ uberiori copia ibi nascuntur, tum quia Apibus pabulo tranquillius frui licet.

Sin locorum mellis feracium incolæ rationem habere velint commoditatis situs, jidemque studeant in elaboratione elegantissimi mellis, ut voti fiant compotes, Postquam ex alvearibus eduxerint tabulas Mel continentes & Ceram, hac panno excipere debent sufficientis magnitudinis, ex tela rariori confecto, colligatisque simul quatuor hujus extremis eundem suspendere, subdito doliolo aliove vase in quod influat mel stillans, elegantissimum & optimum futurum, albissimum vel aurei coloris, odoratum & maxime aromaticum, dulce simul cum acrimonia, grave, consistentiaeque laudabilis quamdui est liquidum; durissimum vero & tenacissimum quando concreverit, id quod non diu postquam ex panno in vas stillavit contingere solet; dummodo vas cui infusum accurate siccatum sit, ac postmodum loco subfrigido commissum fuerit.

Eiusmodi Mellis genus circa Barjacum, S. Spiritus Oppidum, Balaenam, pluriaque alia Galliæ Narbonensis loca; sicuti Montalbanum, Villeperdicum, Condorcetum, Alansonum & similia in Delphinatu loca occurrit, dignitate nulli cedens si qua ratione eliciendum præcipimus obtainuerimus, Nec difficile est tale comparare, modo Pharmacopœus laborum & sumptuum non fuerit parcus.

Mel sponte sic transcolatum proculdubio & elegantius futurum est, & melius quam tortivum, quod fuscedinem contrahit & insuavitatem non modo ab impressis ceræ vestigiis, sed etiam ab expressione Apum, vivarum aut mortuarum, massæ commixtarum; adde & nonnunquam occurrere vermiculos quosdam albos, nuclei pinei magnitudinis & longitudinis, in alvearibus saepe saepius genitos, horum perniciem nisi medela adfuerit, quo etiamnum fit ut Mel ea ratione expressum conservationi inidoneum sit, ob succum aqueum apibus & vermiculis in existentem, saporem mellis non modo depravantem, sed & illi acorem ac corruptionem inducentem.

Tempus collectionis Mellis maxime idoneum quod attinet, in dissidium plurimos adduxit, Hæc vero difficultas opiniones risu explendas animis eorum induxit qui campestrem faciem quavis anni tempestate perpendere dignati non sunt, & quibus ignotum fuit legitimum tempus quo ex alvearibus extrahitur Mel.

Id apertum est in Delphinatu, Gallia Narbonensi, imo universa Gallia, duas solummodo observari anni tempestates ad mellis collectionem, videlicet menses Maium aut Junium, ac Septembrem aut Octobrem; neque enim Æstas aut Hyems huic operi commode sunt.

Non Æstas, ob insignem æstum plantas amburentem, quo fit ut hæ careant succo productioni mellis idoneo; Alvearia præterea tunc fere

exsucca sunt, periculose ad ea aditus, quod tunc Apes aculeis suis promptius & citius accedentes feriant.

Non Hyems, eo quod Apibus, cum loca campestria alimentum non amplius suppeditent, Mel nequaquam illæ conficiant; quin alvearibus conclusæ, in subsidium & alimentum, id quod serena tempestate congesse absument; Imo in diutius producta hyeme aquam mellitam alvearibus supponere necesse sit, pabulum ipsis futurum post devoratum Mel superstes, Ideoque hoc solummodo in controversiam adducendum, Utrum Mel præstet verno aut Autumnali tempore collectum?

Vere collectum Mel quod attinet, ab auctoribus Thymi flos multo in pretio fuit, quod Apibus præstantissimum alimentum suppeditet; Miror vero quod nonnulli Pharmaceuticam artem profitentes, imo locorum incolæ qui Thymum ubertim proferunt, afferere ausi sint æstate id florere, ac proinde hujus flores nihil conferre ad productionem Mellis vere colligendi: Constat quippe Thymum in Gallia Narbonensi, & Provincia, à fine Martij (nisi hyems asperior & diutius protracta fuerit) sed nunquam non mense Aprili, Maio autem, aut ad summum Junij initio, nulla superesse floum vestigia, semen autem maturitatem adeptum esse; Adeo ut suppositia florum Thymi inopia quo careant Apes, prohibere nequaquam debeat Mellis vernalis collectionem; quin potius Mel ea tempestate proveniens censendum Thymi maxime particeps esse, necnon plurium aliorum florum vernalium, ac præsertim primulæ veris, violarum, rorismarini, salviæ, betonicæ, liliorum convallium, calendulæ, rosarum sexcentarumque aliarum plantarum aromaticæ vi pollentium locis prædictis familiarium, terræ superficiem verna tempestate decorantium.

Illud tamen concessero Mel Autumno proveniens vernali non multum inferius esse; nam adde quod Apibus frui datum fuit floribus toto anno prodeuntibus, imo pluribus fructibus tunc temporis autumno obviis, Uvæ quoque postremo in pabulum illis venere, quarum avidissimæ sunt.

At vero cum Andromachi scopo satisfaciendum sit, qui Mel vere collectum præcipit, illud præterea si in considerationem veniat Maio maxime mense Rorem excidere; quinimo illo tempore, præsertim in Gallia Narbonensi & Provincia, cum aër summe tranquillus & serenus est, supra arborum folia grana quædam sacchari dulcedine, mannae figura conspicua esse, imo ad hujus naturam accedere, pabulum Apibus gratissimum præbentia; Necnon si illud perpendatur has maxime tunc temporis robore pollere, quibus cuncta ad libitum obvia sunt, Quinimo nulla alia præterea tempestate recentia examina alvearia desere-

re veteribus Apibus valedicendo , auram captandi gratia , ac liberiora loca quæstura , novas quodammodo colonias constitututa , lubentissime eam amplector sententiam Mel exeunte Majo , aut incloante Iunio ( qui ad Ver etiamnum pertinent ) collectum præstantissimum esse , ratus ab iis qui Theriacam confectione sunt id disquiri debere .

Quæstionem quod attinet à quibusdam excitatam , Num saccharum forte Melli anteferendum unitatis & conservationis gratia medicamentum Theriacam ingredientium ? Vix ut in controversia veniat digna ea est , Si enim Mel sit congeries non solum præstantissimi roris cœlestis , sed etiam maxime puræ substantiæ sexcentorum florum , eximia vi aromaticæ præditorum , proculdubio id succo unius arundinis præferri debet , qui sola dulcedine commendandus venit .

Adde his Mel Theriacam subire , inditum non modo ratione facultatis propriæ balsamicæ , colligendarumque gratia & ad unitatem descendendarum virium aliorum medicamentorum , sed potissimum totius compositi conservationis , qua conditione non solum saccharum illo inferius est , sed & cunctis aliis enumeratis : Nulli enim Pharmacopœo , vel parum artis perito , ignotum Electuaria mollia , quæ saccharum conglobationis causa simplicium admittunt , vix ultra annum , citra alterationem quampiam durabilia esse , imo ad corruptionem omnimodo deduci si diutius adservata fuerint : At vero Electuaria ex Melle composita , in corruptibilia fere esse dummodo illis debita consistentia conciliata fuerit , pulverum proportio rite observata , recondantur postmodum , ac conserventur juxta artis regulas : Quo fit ut Theriaca & Mithridatium , accuratam præparationem adepta , probe recondita & collocata , ad 50. imo & 60. annos ac amplius perennia sint .

Neque illa mihi valida ratio obvia est quæ impellere debeat ut Mel per totum biennium adservetur antequam in Theriaces compositionem admittatur , quin potius existimo id quam recentissimum in usum venire debere , ne odoris aromatici & subtilis portio in auras discedat à diuturniori adservatione , tum & acoris præcavendi gratia , aut ne quāpiam aliam corruptionem induat ab attracta aëris humiditate , quæ mollietiam illi impertiri potest , imo & ante tempus dissolutionem ; Id quod quotidie observare est in Melle in subsequentem usque annum reservato : At vero ejusmodi corruptionis , aut alterationis , nequaquam capax est Mel quando Theriacæ remixtum est , tum quia exuberans in Melle humor in auras discedit à levi coctione illi concedenda ; fæces autem & fordes forte commixtæ despumatione accedente & colatura abscedunt ; Tum & potissimum , quod ab admissione insignis medicamentorum aromaticorum numeri , quibus socium se dat , ipsummet melius

melius conservatur , dummodo toti composito idoneus conservationi locus non de fuerit.

Consistentiam Mellis, circa illius electionem, quod attinet, si id statim ac eductum est occurreret , liquidum id & pellucidum obtinemus attamen crassum & tenax , sed non diu post aliam induit formam, concrescit enim & indurescit , ac vase cui commissum pertinaciter adhaerens, etiamsi pristinæ formæ non levi negotio restituatur, igni nempe impositum , quamobrem duritici causa & concretionis nequaquam repudiandum , dummodo cæteræ probitatis notæ non defuerint.

Caput hoc per me in majorem molem excrescere potuisset adducta Apum historia, traditaque mira animalculorum horum œconomia, obedientia & fidelitate quam erga Regem observant, solertia diligentia & industria omnino singulari , tum in colligendo ex plantis id quod illis idoneum est , unde postmodum Mel & Ceram confiant , unicuique sedes diversas assignando ; Tum in domiciliorum constructione , vel in alvearibus , vel arborum truncis , imo rupium cavernis, qua in re plurimum humani ingenii captum superant , adeo ut non imitationi , sed admirationi tantum locus sit : Sed regulas ab initio hujus Tractatus mihi propositas transgrederer, adde quod ex pluribus authoribus eadem repetere licet quæ curiositati satisfaciant.

Eapropter etiam missas faciam Mellis facultates , propositi mei tenax, à scopo videlicet nequaquam recedendo, nihil quippe allaturus, aut in medium producturus, quod non plane spectet Electionem, tñam Preparationem , probam Dispensationem ac accuratam medicaminum omnium Theriacam nostram ingredientium Missionem , sed postmodum de Conservatione quædam additus sum , ac occasione data de illius viribus & usu , quæ postrema futura est hujus Tractatus pars.

Mellis præparationem capite decimo septimo attingam , quo de ultima præparatione omnium Theriacæ simplicium acturus sum, mixtione eorundem, ac in Opiatae formam deductione.

## C A P U T LXXII.

## D E V I N O .

*Si celebrato careas Falerno ,  
limpidum quæres validumque vinum ,  
collibus nascens , silices & inter ,  
Solis ad ortum.*

**E**Tiam si methodus illorum qui copiam Vini Theriacæ affundunt nequaquam mihi adprobanda sit, ac præsertim illius usus ad gummatis eujuspiam dissolutionem, vel mellis despumandi causa inopportunus mihi videatur; id tamen non omnino à compositione arceo: Sin præterea id excludam, siquidem ab illius usu imminere videatur destrutio partium, aut ipsius Vini, aut medicamentorum quibus id commiscere in more fuit; id tamē commode in usū advocare novi sicubi, (præster utilitatem quam adhibitum pæstat) partes illius sartæ testæ, nec non cæterorum simplicium, quibus commiscendum, maneant; At vero cum Vinum, de quo nunc mihi sermo, ubique notissimum sit, prolixum caput traditurus non sum.

Andromachus, cum Romæ vixerit, Imperatori Neroni primus à consiliis Medicis, olim Vinum Falernum ad Theriacæ compositionem admisit, quod proculdubio & generosissimum & suavissimum, non procul arcessendum fuit, natales quippe habens in loco Romæ proximo.

Ab ejus mente aberraturi non essemus si viciniores Romæ degeremus, ac obtinere levi negotio concessum foret; At vero etiam si lateat meum Vinum Falernum eadem jam celebritate nominis gaudeat qua elīm imperante Nerone, id mihi perspectum est jampidem in more esse Romam Vina Gallica transmittendi, ea præsertim quæ profert Gallia Narbonensis, unde cuivis manifestum est nisi hujusmodi Vina in generosorum censu reponerentur, non futurum ut illæc invehementur; imo non absque verisimilitudine afferere licet, præstantiam in illis comprehendi majorem, quandoquidem ex tam dissipata regione advocantur.

Cum porro in Gallia non desint qui eximio sensu gustus polleant, in dignotione generosorum Vinorum solertes; ac præterea suppetant Vina quæ illorum palato ab blandiantur; omne circa hæcdubium protinus dilvendum erit: Gallia Narbonensis & Provincia multigena suppeditant, Frontinianense, Laudunense, Chusclanense, Sancti Laurentij, Ciotatense, Cassiense, Coindriacum, Eremiticum, Matisconense, Belnense, Haicense, Rhemense, aliaque aliis in locis nascentia, quæ nominis famam jampidem tuentur.

Prætermisso vero singulari examine, id constitutum volo Vina nimis subtilia, ac fumosa, huic compositioni inidonea esse, quod & proprio spiritu nimis cito destituantur; At vero Vina ex uvis è omnino maturis educta, locis qui solem orientem spectant, silicibus confitis, cum partibus magis compactis constent, spiritus autem intimius conjunctus, non adeo facile ideo hic diffabilis est; atque ejusmodi Vi-

na disquirenda sunt , generosa quidem , sed cum dulcedine quadam conjuncta , comite suavi acrimonia; Vina ejusmodi grato sapore ori satisfaciunt , cærebrum odore suavi recreant , non prius in usum advocanda quam omnino defæcata fuerint.

Hoc vero præstantiae illorum certissimum indicium est , ac cæteris anteferri debere , quod diutius citra acorem perstent in dolis & lagenis , unde inferre licet spiritum illorum arctiori nexu detineri cum cæteris paribus , ægriusque ab illis divelli.

Ex mea quoque sententia alba rubris potiora sunt , quæ talia facta sunt solius fermentationis ac ebullitionis una cum racemo beneficio , à quo acrimoniam contraxere , derelictis partibus quæ frænum quasi spiritibus injiciebant ; Et hæc de Vino dicenda habui , cæterisque Theriacam ingredientibus .

## C A P U T L X X I I .

*DE VLTIMA PRAEPARATIONE CVNCTORVM  
Theriaces ingredientium , Eorundem mixtione , ac in Opiatæ  
formam deductione.*

*Non metris tantum quatuor licebat  
ferre , qua debent ratione jungi  
qua prius dixi , Caput hoc legenti  
cuncta patebunt.*

**L**Abori nequaquam parcendum si quid arduum suscipitur , ægre vero ferendū est cū multo labore suscepto optatus exitus & votis respondens non consequitur : Id vero certissimū est media , & maxime compendiosa , & facillima , cæteris præferenda esse , si præsertim successus desideratus adfuerit : Huic via insistere decrevi in hac præparatione , minorique tædio meliora prestare iis qui magis se fatigaverint .

Antiqui nulla ratione , inducti nulla impellente necessitate in vino Gummata Theriacam nostram ingredientia dissolvenda præceperunt , quos plurimi neoterici sunt imitati , inconsiderate tamen , cum dissolutio , & gummatum transmissio , cum solum in finem inducta fuerit , ut scilicet illa repurgarentur : Sin illorum lacrymæ occurrant purissimæ , ad quid illa in vino dissolutio ; quin duplex exinde imminent detrimentum si in vino ad ignem soluta fuerint , partis videlicet vini spirituosa , ac portionis illius spiritus ; tum & partis salis volatilis Gummatum .

Eapropter omnino illi labori supersedendum, solumque trit iranda purissimæ illæ lacrymæ, una cum cæteris ingredientibus pistillo obedientibus; Imo his conjungendum Olibanum, et si plane aliter sentiant plurimi scriptores, qui inani timore ducti, & opinione ne thus masculum, una cum cæteris ingredientibus contritum, placentam quasi effingret, censuere id seorsim contundendum esse, revera placentam conjecturi à qua sibi metuebant, quæ nunquam obtingit si una cum ingredientibus cæteris contritum fuerit.

Id vero compertum esse jubeo, à sèpius repetito experimento, non solum Olibanum, sed & cuncta Gummata, probe electa, si purissimæ adfuerint lacrymæ, una cum cæteris ingredientibus contrita, pulveri convenientissimam formam inducere, qui inde visciditatem quandam adeptus, dissipationi maxime reluctatur, neque in auras abscedit id quod alias illo absente futurum.

Neque minus absonum ex intervallis vino id irrorasse, quod idem tidem evaporat, neque pulveri æqualem continuamque consistentiam ac formam præbere potest, illi similem quæ in pulvere conspicua est, si cætera gummata fuerint remixta.

Multa præterea Gummata seorsum conterenda jubent, sed ab hoc abstinentendum censeo, sicuti & à dissolutione Gummatum in vino: Croucum tamen sine cæteris pulverari non improbo, quo subtilior evadat, utque illius tinctura & facultas in totum compositum facilius diffundatur, etiamsi nihil prohibet quin una cum cæteris ingredientibus in tritaram veniat.

Sed omnino reprehensione dignos censeo eos qui tradidere impossibile esse ut commode conterantur simplicia Theriacam ingredientia mense Novembri, neque ut in pulverem sat subtilem deducantur fieri posse, humidæ silicet tempestatis ratione id non concedentis; Censentes hujusmodi pulverem, sicuti & totius commissionem, non nisi æstate peragi posse: Si bene judico ex illorum scriptis, nunquam ab ipsis præparata fuit Theriaca, quinimo neque illius præparationi interfuerere, uti nec consimili cuiquam præparationi ab artificiis instituta.

Etiamsi aliæ rationes, iis quas proferunt validiores, ad aliam tempestatem nos compellerent quam mensē Octobrem, perficiendæ gratia Theriacæ; ipsa vero æstas omnino eligenda esset (id quod calculo meo nunquam comprobatus sum) appositissimum tamen esset, si modo possibile, dies aliquot è mense Novembri, aut etiam Decembri, quinimo & maxime humidos mutuari, ad confectionem Pulveris Theriacæ, declinando dies æstivos, per quos non solum maxima illius virium pars dianni hilari potest, sed & ponderi non nihil decedere: Cum vice

vice versa mense Novembri, aut consimili tempestate, à frigore & humiditate aëris obviam ire licet ejusmodi discriminibus, quandoquidem & juvatur trituratio ingredienti unum, quæ ob nimiam ariditatē ex intervallis repetitisque vicibus vino irriganda sunt; nisi Gummata remixta fuerint cæteris ingredientibus, simil pulverisanda, juxta methodum nostram: Res vero adeo est aperta, & vero consona, ut nullus artifex id in dubium revocare audeat.

Neque præterea concipio cur præceperint antiqui mortaria Ægyptia in usum adduci, utpote durissima, sed & insimul pistilla lignea, aut ferrea, pulverisandorum gratia simplicium Theriacæ dicatorum, Si mens illorum fuit ( quæ omnium opinio ) ut mortaria porphyricta usurparentur, procul omni dubio à trituratione in ejusmodi mortariis cum pistillo ferreo diffringi potest mortarium, aut saltem quædam illius fragmenta dissilire, pulveri commiscenda: Sin solum pistillum ligneum in usum adduceretur, pulvis tarde admodum perfectionem obtineret, respectu habito plurimorum ingredientium; Interim præ diuturnitate temporis, maximum pulveri detrimentum immineret, tum in quantitate tum viribus: Uſus magnorum mortariorum æneorum, & pistilli ferrei, sine dubio prædictis præstantior est, tum ratione utriusque duritiei, tum quod nihil improbi ab iis in pulverem commigrare possit: Nullus ab ære metus imminet, nisi forte à diuturniore in iis mora rei cuiuspiam humidioris, à qua sensim æruginis particula aliqua elici potest ab ære, at vero à rebus fuccioribus nihil simile expectandum: Interim Pulvis & melius & citius perfectionem obtinet in mortario æneo quam in moreo, neque ullus id in dubium revocat, aut revocare audebit Pharmacopœus.

Tabula tamen lignea, in orbem cæsa, in medio perforata, proportione pistillo & mortario respondens, summo mortario inter titurandum imponenda est, dum præsertim contunduntur & commiscentur simplicia trituranda: Quinimo his contusis & commixtis mortario superponere licet alutam validam, media sui parte pertusam, prohibendæ gratia pulveris difflationis in ipsa trituratione, omnem cautionem adhibendo ne dissipatio contingat.

Pulvis demum per cribrum sericeum transmittendus sat densum, ex tribus partibus constructum, sibi invicem commissis, quarum infima fundi vicem obtinet, pulverem transmissum excipiens: Media cui annexa pars sericea, per quam pulvis trajici debet, & summa operculi vires cæteris præbens.

In controversiam etiam venit, aqua an vinum melli infundendum, desputationis jurandæ gratia? concederem quidem huic rei aquam ap-

tiorem fore si humidi cuiuspiam accessio necessaria esset, ab adhibito enim Vino, accedente fervore, pars spirituosa illius in auras abiret; Sed eam in rem neque Vinum neque aqua requiruntur, cum enim ad Theriaces confectionem mel idque elegantissimum in usum advocetur, neque spuma neque sordes in illo fingenda: Spumam tamen detrahere necesse judico, sed satis mihi est id igni imposuisse, capaci pelvi exceptum, nullo humore addito, levique ebullitione accedente, id igni substraho, ac post aliquantulum moram spumā sedulus aufero; & per incerniculum setaceum transcolo, unde mel exsurgit elegantissimum & purissimum consistentiae legitimæ, idoneæ tum comprehendendis ac colligendis pulveribus & succis, tum excipiendo admittendoque Vino, alias ad illorum dissolutionem necessario.

Aliud & exinde accedit commodum, à levi videlicet illa decoctione tantum detrimenti melli non imminere ac si Vinum aut Aqua superinfusa essent, postmodum necessario absumenda, quo mel debitam consistentiam posset adipisci; cum porro diuturna in igne mora requiratur, pars & odoris & virium absque dubio annihilaretur, id quod sedulo cavendum.

Proportionem Mellis quod attinet, ab Andromacho hæc definita est, præscribit scilicet tertium tantum pondus mellis despumati, ad consistentiam cocti, ad cætera ingredientia, sub quibus comprehendere est & Gummata, & Succos, & Terebinthinam, & Balsamum, vel Oleum Nucis Moschatæ, illius succedaneum, Agaricum, Radices, Cortices, Semina, Trochiscos, Terram Lemniam, Chalcitudem, Bitumen, Viperas, Castoreum, Herbas & Flores.

Quoad Vini proportionem ad Theriacæ quantitatem suscepta, quæ librarum circiter est centum, Pintæ tres satis esse queunt, tam ad dissolutionem Opii, jam ad Extraæti consistentiam deducti, quam Extractorum Liquiritiae & Hipocystidis.

Neque Vini additio composito quicquam obstat, illo enim nequam admisso Theriaces consistentia plus nimio solida esset, ratione evaporationis portionis humidi melli nonexistentis, quæ in despumatione accidit; Id vero certissimum est, si cuncta Theriaces ingredientia triturationi idonea fuissent, triplum mellis pondus, ope ignis solum liquidi reddiri, pulveribus commixti, producturum fuisse Opiatam debitæ consistentiae citra aliquod supplementum.

Tempestivum jam est transeamus ad ordinem in postrema præparatione observandum, ac ultima Theriacæ mistura, cuiusmodi à me servatus fuit coram D. D. Medicis & plurimis Pharmacopœis peritissimis, qui præsentia sua officinam suam decorare voluerunt, imo meum procedendi motum calculo suo adprobare.

Id tamen præmonitum volo, prius à me præparatos fuisse Trochiscos Hedychroi, atque in pulveris adparatu eandem ut prius fuisse methodum à me observatam ad confectionem pulveris toti Theriacæ dicati; præterquam quod cum Lignum Aloes Xylobalsami succedaneum esset, ab eo triturationis exordium ductum fuerat, & ab Aspalatho, utope lignis durissimis, solidis, pistillo admodum renitentibus: Tenuiter etiam à me dissecta fuerat spica Nardi ut facilius in pulverem abiret; à qua methodo etiam non recessi in ultimo pulvere toti dicato.

Initium duxi à contusione omnium radicum in majori mortario æneo, usus crasso pistillo ferreo; ac demum cunctorum corticum, his successit Spica Nardi, sicuti dixi contusa, deinceps injecti Trochisci Scyllitici, & Hedychroi: Postmodum Semina, Viperæ, Castorium, Bitumen Judaicum, Folia & Flores, Agaricus & Terra Sigillata; Cunctis his, etiam ab initio, paulatim ac per yices adjecta sunt Gummata; Probe contusis cunctis his ingredientibus successive, & quantum una vice contundi potuit in mortario, omnia accurate commiscui magna pelvi excepta, ac demum capsula conveniente inclusi.

Istius misturæ triturationem denuo suscepit in magno mortario, in pulverem omnia deducendo, ac transmittendo per incerniculum sericeum rarius, donec Pulvis perfectionem adeptus sit, id quod sub finem diei tertiae consequutus sum, usus trium hominum opera sibi invicem succedentium, modo triturationi incumbentium, modo per cribrum transmissioni.

Crocus seorsum pulverisatus fuit, prius leniter exsiccatus, cribro instratus, subdito per aliquod tempus, sed aliquantum diffuso, igne lenissimo, Chalcitum quoque separati contrivi in pulverem in Vini semifextario ( unciis circiter octo ) dissolutam, Opii quoque depuratissimi unciæ octodecim in vini libris duabus dissolutæ fuere: Liquiritiæ extractum in ejusdem Vini libra una, ac tandem succus Hypocystidis in semifextario prædicti Vini, quæ quantitas à me judicata necessaria ad accuratam præcedentium dissolutionem; Seorsum colliquatum fuit Oleum Nucis Moschatæ ut & Terebinthina, scutella argentea excepta; Pondere vero exæte trutina expenso, tum pulverum omnia, tum Olei Nucis Moschatæ & Terebinthina, Extra, torumque Opii, Liquiritiæ & Hypocystidis, triplum Mellis despumati & purificati pondus adsumpsi, sicuti ante præmonui.

Tum libras duas aut tres prædicti mellis calentis infudi in capacem pelvim, cui primo commiscui Crocum, grandi & valida spathula linea illum cōmovendo, cui probe cōmixto addidi denuo quinque sexve mellis libras, demum Pulveris circiter duas aut tres libras: Postmodum

nonnulla meorum Extra&torum Vino dissolutorum , adjeci quoad omnia ingressa sint , Sub finem demum imposui Oleum Nucis moschatae ac Therebinthinam una liquefacta ; Interim duo validi homines , sibi invicem succedanei ; eadem spathula totam istam Misturam versabant , robore enim brachiorum utriusque ad id opus fuit ; Cuncta hæc extra ignem peracta sunt : Satis enim mihi fuit calor in melle à despumatione superstes : Agitationem hanc unius horæ integræ spatio continuandam præcepi , ac donec Theriaca pene omnino refrixerit.

Recondendi sola cura superfluit , eapropter in parato habui Vas fragile probe vitreatum , ejus capacitatibus quæ non solum toti composito comprehendendo par esset , sed quæ etiam ponderis centum quinquaginta librarum Theriacæ capax fuisset , adeo ut tertia ad minimum Vas pars vacaret ; quod vacuum omnino requirebatur ut spatium tumenti & turgescenti Theriacæ concederetur , qui tumor à fermentatione expectandus erat , cuius spatij defectu proculdubio vas dissiluissest , nisi compositio superna parte exitum affectasset.

Obiter id dixero , etiamsi excipiendæ Theriacæ idonea essent vasa aurea aut argentea , cum tamen ejusmodi in aulis solum Regum & Principum occurrant , illis tamen carere nos posse dummodo recondita fuerit , sicuti à me factum , in unico fidili vase optime intus vitreato , cum ejusmodi vasa omnino innocua sint , nec alia occurrunt magis idonea simili compositioni admittendæ , à quibus nihil noxij metuendum , eaque ratione pari passu cum aureis & argenteis incedant.

Vas ex stanno puro omnium minime reprobandum , ex metallorum genere ( si Aurum & argentum excipias ; ) Cuprea , Orichalcea , Ferrea omnino repudianda , sicuti & Linea ; Priora quidem , ob improbas qualitates quibus imbuta sunt , in contenta transferendas ; Posteriora autem non solum iisdem de causis , sed etiam quia poris nimium pervia sunt , & permeabilia , mo intra se admittere possunt , ac ad se allucere portionem quamplam partis liquidissimæ & tenuissimæ Theriacæ , unde non levis jaætura imminet à diminuto pondere totius & ab adhæsu materiae lateribus ligni .

Etiamsi porro vasa ex stanno purissimo conflata non omnino improbanda sint , non ita tamen procilive est ejus capacitatibus comparare quæ voto satisfaciat , quo fit ut in admiserim vas fidile probe vitreatum & solidum .

Omnia me uni eidemque vasi commisisse dixi , idque præstandum credidi , quo melius colligeretur & coiret vis cunctorum simplicium , à totius fermentatione in uno eodemque vase contingente , etiamsi nihil prohibeat quin totum compositum pluribus vasis postmodum includatur

tur, modo fermentatio plane perfecta sit, at vero id tempus nequam occupandum est.

Neque satis est proba electio, & accurata præparatio cunctorum medicaminum in Theriacam venientium, vel rita eotundem dispensatio; Neque præterea sufficit ex artis legibus & methodi commiscuisse, hæc vero eadem unico vase recondidisse, Fermentatio quoque promovenda, qua non prægressa nequaquam in usum venire debet Theriaca.

Res ut successum obtineat, Vas cubiculo quopiam leviter calente includendum, si occurrat, vel arte, spathula lignea Theriacam versando bis in hebdomada, totis duobus primis mensibus: Semel autem in septimana quatuor subsequutur mensibus, quo eo pacto unitas & coitio omnium ingredientium melius succedat, atque ex hac redundet vis omnino singularis, imo quæ superet facultates omnium ingredientium ante fermentationem.

Ere quoque fuerit vas Soli exposuisse statim ac per tempestatem licuerit, perficiendæ gratia actionis spirituum omnium fermentativorum, ne quicquam operis complemento desit.

Quibus ignota fuit Chalcitidis vis, Theriacæ inditæ, censuere omnijure illam exterminandam: admirationis vero ansam illis objecturus sum, quod non solum ab eorum sententia recedens illam admittam, sed etiam methodo omnino singulari insistam ad illius præparationem, è directo repugnantem antecepsorum meorum opinioni.

At vero si iisdem perspectum fuisset Chalcitidem fermentationis primum esse mobile, non modo in aliam devenissent sententiam, sed etiam meam calculo proprio adprobaturi fuissent, si modo perceperissent Chalcitidem liquidam formam adeptam multo facilius per universam massam diffundi, functionesque inde expectandas obire: Idem quoque & confirmaturi essent de Hypocystide & Acacia.

Quibus etiamnum insignes Opij vires non ignotæ sunt, jidem neque illius dissolutionem inidoneam judicaturi sunt, quandoquidem ea ratione illius facultas facilius totum compositum pervadit & permeat quam quavis alia.

Incasum porro, & innani conatu in conquirendis probatis medicamentis adlaboratum fuisset, iisdem ex methodo dispensandis, nisi etiam ultima imponeretur manus: Ad id vero studium adhibui, non solum ut exequerer quicquid ars, ratio & experientia præcipiunt ad hujus compositionis præstantiam, sed etiam exactam illorum notitiam ad Collegas meos, qui curioso animo feruntur, derivari volui; cum in plerisque libris obviam habituri non sint plurima à me ipsis ex officio revelanda.

Interim si accurate observata fuerit methodus à me præscripta , pro certo id habendum Theriacam intra semestre tempus, ad id ab Authoribus præscriptam , perfectam fermentationem consequutum iri ; quo spatio exacto in usum venire commode illa poterit.

Neque cuiquam author fvero ut tempus illud occupare audeat , eo quod Theriaces ingredientium medicaminum mistura revera chaos tantum habenda est , donec accedente fermentatione ex isto chaos emergat vis præstantissima & perfectissima , per quam prodeant cuncti effectus à Theriaca expectari ; Ad capita sequentia remitto Lectorem, ibi plurima traditurus, usum & ætatem Theriaces spectantia.

## C A P U T L X X I V .

*D E ÆTATIBVS THERIACÆ , ET TEMPORE  
quo in usum venire potest.*

*Apta post sex est Opiata menses ,  
Dum recens , vires Opium tenebit ,  
Semi centenos validamque ad annos  
esse probatur.*

**D**E futura non esset mihi scribendi materies , & ingens caput, quoad rem propositam , adornandi , nisi propositi tenax essem , limites scilicet mihi præfixos nequaquam prætergrediendi, neque quicquam in medium preferendi præter ea quæ probum & peritum Pharmacopœum scire decet.

Doctoribus, qui de Theriaca Tractatus conscripsere super hac recenti sentire non licuit, nam eorum nonnulli Theriaces ætates distinxere eadem divisione qua hominis , in infantiam , adolescentiam , virilitatem & senectam : at variæ illorum sententiæ confusionem tantum animis induxere : Interim hodierni Medici , dimissa omnino hac ætatum consideratione , Theriacam nulla ætatis designatione facta præscribunt , hac solum distinctione adhibita ; quod aliquando recentem , aliquando antiquam adsumi jubeant ; prætermissa annorum enumeratione.

Ut vero scopum proxime ferire liceat , occurrere illis necesse est, notwithstanding facere Theriacarum prostantium ætates, quo liceat eam eligere quæ maxime consentit indicationibus à morbo desumptis ; At cum sape admittantur præscriptiones ab ignoto Medico emissæ , vel etiam si is

si is notus sit, non liceat per tempus, aut otium, quid ipse tentiat inquirere; omnino necesse est quemvis Pharmacopœum novisse.

Primo, nequaquam usurpandam esse Theriacam quæ sufficientem & perfectam fermentationem nequaquam adepta sit; brevissimum autem ad id tempus esse sex mensium; Sed præterea requiri ut Solares radios per plures dies admiserit; ac ex temporum intervallis in vase proprio commota fuerit, quo è potentia in actum deducatur facultas medicaminum, in quibus latet semen spirituum fermentativorum; His circumstantiis nequaquam observatis, proculdubio longiori tempore opus foret antequam in usum adduceretur Theriaca.

Legere tamen est apud Galenum, ipsum Theriaca usum esse bimestri aut trimestri, unde inferre forte licet hujus ævi Medicis idem licere, imo, si libet, exemplum id prætergredi; At vero hæc à nobis perpendenda sunt tanquam licentiae insignibus Poëtis concessæ, neque Pharmacopœis citra mandatum conceptum idem adgrediendum.

Ex omnium Authorum consensu, ante fermentationem Theriacæ ingredientia confuse & seorsum propriam actionem edunt, ac præfertim Opium initio facultatem propriam præ cæteris exercit; Prævia vero fermentatione, quæ concoctionis species est, virium confusio, insigni illi medicamentorum quantitati insita, in unitatem adeo intimam & perfectam transit, ut potentia & virtus omnino singularis & nova emergat, imo omnium medicaminum vires prætergressa: Etiamsi vero Opium quovis tempore vires suas præ cæteris deponat, nihilominus actio illius multo efficacior & manifestior est quamdiu recens est Theriaca.

Ea propter sicubi incrassatione opus est, aut motus cuiuspiam interni insoliti cohibitione, vel quiete, Medicis in more est Theriacam recentem præscribere: Sin calefaciendum, aut corroborandum, aperiendum, incidendum, vetustam potius in usum iij accersunt.

Opium propriarum virium tenacissimum est, etiamsi paulisper cæteris ingredientibus locum cedere videatur, cum non adeo manifestos exerat effectus ac quamdiu Theriaca recens erat; quinimo & tunc temporis cætera ingrediētia nihilominus vim suam prodant, quamvis Opij effectus insigniores sint cæteris ac priores se prodant; Neque id absurum, cum in drachma una Theriacæ, in qua grana septuaginta duo, quæ maxima & vulgatissima illius est dozis, ad pondus quinquaginta quatuor granorum pondus mellis, ac octodecim grana pulveris, vel aliorum ingredientium, sub censu pulveris repositorum, dicta drachma comprehensorum, occurrant solummodo tres quadrantes grani Opij, cujus Medici præscribere solent non modo granum integrum in dozim, ve-

rum etiam duo , tria , imo & quatuor vel amplius ; Adco ut septemdecim grana , cum quarta unius parte , aliorum ingredientium , prater Mel quod in partes venit,cum viribus illa eximia fint,tunc de potentia in actum transeant,etiam cum Opium illis prævaluisse videtur.

Concedendum ergo , etiam si ab initio effectus Opij in sensu citius occurrant quam cæterorum ingredientium , ac si porro decursu temporis cæterorum ingredientium efficacia Opio eminere videatur , nihilo minus utraque effectus suos , ocyus serius prodere , ac demum si Theriacæ , fermentatio perfectionem omnimodam consequuta sit , antequam in usum adducta illa fuerit , facultatem illius Narcoticam adeo efficacem evadere non posse quin æquipondium allatura sit vis cephalica , cardiaca & alexiteria aliorum medicaminum , quorum facultas ante vel post perpetuo se prodit : Quo fit ut perquam difficile sit præcise terminos præfigere ætatibus Theriacæ , hujusque juxta illas electioni.

Sin aliquis sententiæ mex hoc in casu locus esse debeat , id afferere ausim potissimum effectum , ac prius expectatum , normam esse debere electionis Theriacæ respectu habito juventutis aut vetustatis , annorum numero neglegitim fere habito ; Ac præterea nunquam divellendam esse vim narcoticam à cæteris qualitatibus,uti neque has à narcotica.

Theriacæ conservationis spatium tempus , cum virium integritate quod attinet , illam existimo potissimum à præparatione desumendam , ac loco in quo recondita & collocata: Si enim accurata & sedula præparatio adfuerit , legitimaque conciliata consistentia , absolutamque fermentationem adepta sit , ac præterea in vase fictili solido & denso , probe vitreato recondita , exæste obturato , non modo ad viginti usque & triginta annos durabilem esse , sed & etiam quinquagesimum , imo sexagesimum attingere posse ; et si concedam illius viribus aliquid decedere exactis triginta aut quadraginta annis.

Neque tamen illis assentior qui Theriacam,postquam sexagesimum annum attigit , omnino obsoletam & effectam esse censem ; manifestum enim est , etiam si imminutionem virium non levem experta sit , non exigua tamen illi superesse , dummodo conservationis summum adfuerit studium , Inter rara tamen hoc effet reponendum si Pharmacopœus quispiam præparatæ à se Theriacæ quinquaginta aut sexaginta annis supervixerit ; Sed adhuc infrequentius si per id temporis spatium recentis præparandæ , aut veteris dividendæ occasio defuerit.

## CAPUT LXXV.

## DE VIRIBVS ET VS V THERIACES.

*Prospere summas Opiata ab usu  
possidet laudes , nec habet in orbe  
pharmacum morbis , simul ac venenis  
tutius ullum.*

**T**heriaca cum ingenti medicamentorum calidorum numero constet, quorundam magis, aliorum minus, illud non obscurum est convenientissimam illam esse curationi, aut præservationi, affectuum qui caloris ope profligari postulant; Illud quoque in aperto est etiamsi impossibile sit vim singularem uniuscujusque medicamenti distinguere, ex operatione, drachmæ unius, (quæ vulgata dosis est Theriacæ, in qua ne decima quidem quinta occurrit pars grani unius uniuscujusq; quorundam ingredientium) recentem tamen facultatem, ex toto emergentem, Theriacæ beneficio fermentationis comparatam, non posse non excalentiendi vi donatam esse, quandoquidem productum & progenies est plurimorum remediorum calidorum, inter quæ Opium non infimum locum obtinet.

Id vero etiamsi à nonnullis inter frigida medicamina repositum fuerit, ratione facultatis incrassantis & soporem inducentis, pars tamen (sicuti monuimus capite de Opio) hujus resinosa, sulphurea & inflammabilis, à qua præcipui illius effectus deducendi, in separatione instituta illius substantiarum, contrarium omnium evincit, manuque nos dicit ad judicium ferendum, rationi consonum, exiguum frigiditatem, qua prædita fortassis est pars illius aqua aut terrestris, infirmiorem esse quam ut in considerationem adduci mereatur, nedum sulphureæ censenda eminere.

Narcoticam porro vim Opij, cum eidem parti sulphureæ adscribenda sit, non magis admirationis causam inducere debere censemus quam soporema spiritu vini, aut ipso vino inductum; quandoquidem à spiritu calido & inflammabili in illis contento deducendus est ille effectus, verisimiliter illius naturæ contrarius; Medicorum vero est hæc in disquisitionem adducere.

Neque præterea mirum si cum Opium puritate partium cuncta alia ingredientia supereret, ipsum vero solitarium, multo minori adsumptum pôdere quam quodvis ex illorum numero effectum edere valeat interea

tamen cum non minima copia hoc cōpositum subeat, illius effectus dilucidiores sint quam cujusvis alterius, in fermentatione annihilationem nequaquam perpeſſi, cui cætera ingredientia obnoxia videntur: Quinimo nec mitum si in prima Theriaces ætate, opium vim suam narcoticam distincte exhibeat præ cæteris ingredientibus, quæ accedente fermentatione in unicam abierunt, et si efficacem & præpollentem: Neque etiam mitum si eadem virtus, effectus suos non levi efficacia prodens, prohibere nequeat quo minus iij distinguantur quos prodit Opium, quinimo & eosdem priores hoc depromat.

Sin decursu temporis unitas virium cæterorum ingredientium sensim dominium in Opij facultates obtinet, cohibetque evidentiam effectuum antea in illo manifestorum, Opium tamen etiamsi verisimiliter superatum, in partes tamen semper venire solet, ac generosos effectus producere una cum facultate à cæteris ingredientibus manante, quibus subjecere videtur.

Ilo fundamento innixus statuo, Theriacam quo fuerit recentior eo majorem futuram vim Opij in morbis qui ejus ope retundi possint, cujusmodi sunt insomnia, ingentes dolores, fluxiones tenues, commotiones internæ vehementes, alijque ejusmodi affectus, quibus etiamnum Theriaca antiqua succurrere solet, imo quo tempore Opij virtus maxime retusa videtur.

Venena quod spectat, ex Galeno discere est hunc ipsum adversus ea Theriaca recenti usum esse, exinde tamen nequaquam colligendum etiamsi plures annos nocta sit, ideo minus efficacem, quin vice versa magis mihi adprobanda venit, eo quod vis illius alexiteria tum temporis dominium obtinet, Opium vero, cum venenorū numero nō accentetur, eum solum ob finem exoptatur quod grave aliquod symptoma comes sit; Ac forte contigit Galenum Theriacam recentem admisisse quod alia tunc non suppeterent.

Præterea quæ de Theriaca antiqui conscripsere, Infinita experientia à pluribus jampridem suppeditata, Librum hunc in molem insignem adaugendi materiam præberent, Ne vero nimiopere divager, succincte insignem effectuum numerum, quibus felici eventu mederi solet, enarratus sum, successuum plerorumque ergo ipfemet testis.

Etiamsi Galliæ Narbonensis & Provinciæ clima proculdubio quam Parisiorum calidius sit, nihilominus tamen illic Theriaces usus admodum familiaris est: Rustici, imo cujusvis conditionis homines, febre si prehensi fuerint, catarrhis, ventriculi debilitate, aut cruditate, cardialgia, colico dolore, vel quopiam alio interiori, illa utuntur.

Mulieres in affectibus hystericis, per traditionem à Majoribus illius perspe-

perspectos habent effectus, ac sponte, proprioque instinctu, duobus aut tribus ex serie diebus mane illam adsumere solent ad drachmæ unius pondus ex apice cultri, superhausto vini tantillo.

Frequentissime in usum adducunt ad necandos puerorum Lumbricos, & adulorum, tum ore adsumentes tum umbilico admoventes, alutæ scutiformi extensam.

Præcautionis gratia adversus Pestem adsumunt, semidrachmæ pondere: In curatione autem ad drachmam integrum imo & binas ex vino, aqua, aut decoctis cordialibus, imo Emplastri forma Bubonibus & Carbunculis pestilentibus adplicant, quinimo & clavis vel furunculis aut carbunculis, etiam non pestilenti tempore advenientibus; Id pro comperto habentes ore ingestam venenum extra corpus pellere, roborato corde partibusque principibus; Admotam autem venenum ad se allicer, idque superare, imo puris generationem promovere.

Brachiorum quoque carpis ac plantis pedum eandem admovent in paroxysmis febrilibus.

Colicos infantium dolores ejus ope sedant, imo recens natis semi pisi magnitudine exhibent; aut amplius pro ratione ætatis, remedium toties iterantes quoties dolor urget.

Felici successu præbent equis, bobus, ovibus, canibus, febibus, quin & gallinis & columbis, ac in specie quibusvis animalibus domesticis: ut paucis omnia comprehendam, uno calapodio omnes calceant, adeo ut non raro solius Theriaces beneficio & fibi & gregibus medeantur, adversus quovis morbos usi, quos forte aliorum remediorum subsidio vix superassent.

Medici Theriacæ facultates ex fundamentis dignoscere norunt, ac quoisque illius efficacia progredi valeant: Quibus vero familiari in usu esse solet, iis probe perspecta est illius utilitas in plurimis affectibus præter naturam, ac præsertim quovis veneni genere ore adsumpto; In quovis morsu & iictu venenosorum animalium, interius vel exterius usurpan- do adversus morsum equorum, imo & canis rabidi; Contra quamvis febrem pestilentialem & pestem, universosque morbos epidemicos: Ad fistendam Hypercatharsin; adversus febrem quartanam, Lumbricos & quamvis Putredinem, contra Diarrhoeam, Dysenteriam, Lejenteriam, Iliacum affectum, Choleram morbum, quemvis Colicum dolorem, omnem Refrigerationem, Debilitatem, Ventriculi subversionem, & intestinorum; In cunctis flatuosis affectibus usurpant, Cardialgiis, Convulsione quavis, Epilepsia, Paralysi, Apoplexia; In quovis Cerebri affectu ab intemperie frigida genito, interius exhibendo, vel exterius illinendo, præsertim spinæ dorsalis longitudinem; In doloribus Arthriticis, In Impotencia Venerea, ac morbis Vesicæ, partiumque Spermaticarum; In Inquietu-

dinibus & vigiliis, In Tumoribus frigidis & Ecchymomatis, In Hydrope, Aurigine, quovis Hysterico affectu, ac tandem in adeo insigni affectuum numero ut cunctorum enumeratio foret admodum difficilis, in quorum curatione , aut præservatione ; Theriaca miranda præstare solet , Ipse met vero sexcentorum experimentorum testis sum , variis temporibus, locis, ac innumeris personis, cujusvis sexus & conditionis probatorum.

Finem vere facturus non possum non summis laudibus efferre Theriacæ nostræ vires, ac non immerito censeo adsignatum illi fuisse titulum *Reginae compositionum*, illis lubens assensum daturus, qui Theriacam , sincere & fideliter præparatam , optimum & maxime catholicum remedium quod Medicina Galenica unquam excogitaverit pronuntiandi.

Spero interea neminem improbaturum quod publici iuris facta methodo à me observata, accuratissima & sinceritatis plena , in Theriacæ præparatione, Ejusdem vires & usum adjunxerim, colophonem sermoni meo Impositurus : Etiamsi enim quodammodo limites mihi præscriptos prætergredi videar, nihilominus cum nulla non die quasi sequester sim præscriptorum Medicorum, ac successum observare liceat , credidi me veritati litaturum, si que in notitiam meam pervenerunt in publicum emitterem: Personam Pharmacopœi vero non induēs Medici hæc enuntio, ideo nec cōtradicendi ansam porrigo: Cum præterea proclive sit mihi ex plurimorum Doctorum scriptis , non infimæ notæ , comprobare, facultates omnes à me Theriacæ adscriptas ipsis nequaquam esse ignotas , quandoquidem ephemeridibus suis illas inscripserunt, imo & Theriacæ plurimas dotes adsignaverunt quas silentio præterire volui, utpote experimento nondum comprobatas.

Id quoque censeo meum librum, cum in manus venire queat eorum qui Pharmaceutices artis rudes sunt , mancum fore & mutilum forte ab illis judicatum iri, nisi oblata esset descriptio virium & usus medicamenti compositi ex simplicibus adeo exquisitis , ac proculdubio animis illorum inductum iri desiderium noscendi ad quorum morborum curationem usurpari queat.

Id mihi perspectum , omnino fieri non posse ut omnibus ex æquo satisfiat, neque ea spe animum lactavi , primus quippe mortalium id consequutus essem ; At vero cum præcipius scopus fuerit aliquid emittere quod in publicum bonum redundaret, spe sum fretus fore ut nonnulli rem me gratam fecisse non inficientur , ac in proprium commodum laborem meum advocent: Interim dum succisivas horas impendam complendo & perficiendo Operi , à me memorato initio istius Operis.

*FINIS TRACTATVS DE THERIACA.*

N O-

NOVA  
DE VIPERA  
EXPERIMENTA.

UBI

ACCVRATA CVNCTARVM ILLIVS  
Partium descriptio,


VENENI EIVSDEM ORIGO  
*Variique illius Effectus.*

VNA

CUM REMEDIIS EXQUISITIS,  
perita manu ex Vipera extrahendis, Tum ad curationem Morsuum  
ab illa infectorum, Tum plurimorum aliorum Affectionum.

OPERA MOSIS CHARAS,  
DOCTORIS MEDICI.

*Multa Patres olim, Nos plurima, plura Futuri  
Invenient, Cupidis nec porta negata novorum.*





## PRÆFATIO.

**N**

ON NULLIS proculdubio admirationis ansam præbeo, quod cum non pauci Auctores celebres, tum olim tam hoc ævo, de Vipera scripserint, idem jam onus in me suscipiam, quo illi defuncti sunt, adeo ut omnis prærepta videatur aliquid conscribendi occasio:

At vero si quis animadvertisat quot & quanta admiratione digna contineat istud animal, nullus non concessurus est accuratissimo studio illud perscrutandum, neque ad id opus unicam diem sati esse.

Id quod erudit Viri ex propriis observationibus nobis tradidere, et si perfectionem non attigerit, utilitatem tamen præbet posteris, id quod eorum diligentiam subterfugit indagaturis: Auxilio illorum destitutus non usque adeo temerarius fuisse qui id muneris aggredierer, cuius gratia tria potissimum mihi animo observantur, unde proculdubio multum lucis mutuabitur historia Viperæ naturalis; Primo Examen plurimarum observationum ab antiquis emissarum, veritatis specie imponentium; Secundo, ut alias illis substituam, antecessoribus nostris ignotas: Tertio, ut in Vipera, tot tantorumque malorum auctore, disquiram remedia adversus illius mortis specifica, haec tenus inexplorata, idonea expugnandis plurimis affectibus periculi pepuli plenis, adversus cætera remedia pertinacibus.

Temerarium proculdubio meum est institutum, nec diffiteor me voti compotem nunquam futurum fuisse, utut impelleret perficiendi spes, subsidio quorundam Medicorum, & eruditorum & illustrium, à quibus lumen mutuatus sum, destitutum.

Nomen hoc inferre prohibet illorum modestia; id vero unumquemque scire expediret, illis non parvam partem rerum rariorum in hoc Tractatu occurentium acceptam ferendam: Non tædebat illos ædes meas convenire, toto trimestri, observaturos accuratas dissectiones Viperarum, ex cunctis hujus Regni partibus accessitarum, morsus variis animalibus inflictos, ac corpora aperta statim ab obitu explorare, veram causam mortis indagaturos, ac tandem remedia conjecturis consentanea præscripturos, successu postmodum explorato.

In dissectione cunctatum dictarum Viperarum , disquirere libuit partes ab authoribus designatas , imo & in nonnullorum libris delineatas : Ex collatione vero naturalium oculis nostris objectarum , à nobis plurimas omisssas esse partes , notatu dignissimas , deprehensum ; supposititias quasdam inducetas esse ; plurimarum vero figurarum & situs vitiose adumbratas, improbe, collocatas: Inductus fui ut aliquid perfectius molirer; Forte vero cum Dominus Bossius ( cuius insignis in arte graphidos & sculpendi peritia omnibus perspecta est ) conventibus nostris aliquando interesset, amicorum sedulus cultor, votis meis velle se annuere ultro testatus est : Cum vero plurima illi suppeditarent subjecta , designare ad veritatem illa voluit , ac demum æri insculpere istius animalis cunctas partes præcipuas, Paucis, nihil quicquam à me prætermisum eorum quæ ad institutum meum facerent , votaque curiosorum ac eruditorum explerent.

Cum porro in more sit de materia aliqua dicturis , jam sæpius ab aliis pertractata, eadem iterum recoquerz , credidi me nihil absolum factum , si paulo latius aliquanto digrederer , ne Viperæ Anatome imperfecta obtruderetur, cuius non minus exhibenda fuere veræ partes, non exiguo numero occurrentes , quæ in notitiam antecessorum pervenire, quam recens à me exploratae, ipsis ignotæ.

Stylum non attingo , nec enim ab eo qui artem Pharmaceuticam profitetur expectanda est elegantia & puritas sermonis: Satis esse credidi si nitide , ac citra obscuritatem cuncta efferrentur; neque quicquam, opinor , aliud à me quisquam præterea desideret.

Cæterum primus, ut censeo , Gallis Gallico sermone Tractatum de Vipera obtuli , quibus cætera idiomata ignota sunt proculdubio bene de me merebuntur , cum ex mearum observationum ignoratione plurima illorum notitiam subterfugerent , scitu alias non indigna : Ut vero exteris utiles esse queant hæc observationes Anatomicæ , operi præmissæ , Poëma Latinum subdere volui , eam in rem conscriptum , ad calcem libri adferendum.



# ANATOMIE V I P E R Æ.

## OBSERVATIONES GENERALES de hoc Animali.

### C A P U T P R I M U M.



ESCIO cui fundamento innixi Antiqui qui de Vipera scripsere , aiunt in coitu marem fœminæ faucibus caput immittere ac semen effundere , in uterum illinc deferendum , in quo primo generarentur Ova , ac demum minores Viperæ : Fœminam autem ab ejusmodi seminis emissione titillatam Mari dentibus collum absindere , eumque enecare ; Viperinos vero fœtus partui proximos uterum perforare , exitum quæfituros , adeo ut necenâ matri inferendo , patris tenecti quodammodo vindices fiant .

Quandoquidem historia hæc , aut , ut verius dicam , fabula , neque rationi neque experientia consona est , ideo omnino illam repudiare cogor : Id enim affero Viperam , quæ in Serpentium est genere , revera ex maris cum fœmina coitu ori , sed mediantibus organis naturalibus generationi dicatis , quorum descriptionem loco suo exhibituri sumus , huic animali cum cæteris omnibus communibus , imo majori quam in plerisque numero .

Discrepat Vipera à cæteris Serpentibus , non modo quod segnius serpat , neque in altum exiliat , sed præcipue eo quod illius fœtus in utero materno omnimodam perfectionem consequuntur , unde more solito vivi prodeunt : At ex opposito fœminæ inter cæteros Serpentes oviparæ sunt , quibus incumbunt , & ex quibus ut excludantur curant , vel Soli exponendo , aut in propriis latebris .

Plurimorum animis infedit hæc opinio Viperam truculentissimam esse & infestam , adeo ut crudelitatis emblema referat , sed revera ipsi impo-

nitur, nunquam enim proteruit & ferocit nisi lacessita fuerit ; tunc enim in rabiem agitur morsusque acutissimos infligit; at vero nequaquam vel homines vel bestias, nisi in excadescientiam acta fuerit , morsu impedit; Sin forte contigerit ut humi stratus quis morsu invasus ab illa fuerit, proculdubio inopinenter aut conculcata fuit , aut oppressa , alias nunquam dentes illi infixisset.

Atque hæc forte occasio fuit cur Annibalis stratagema ad votum sucesserit; cum projicienda curavit plurima vasa fictilia Viperis appleta, in naves Regis Pergameni, quo cum dimicaturus erat, quod partim ab effractura vasorum læsa ac offensæ fuerint Viperæ , ideoque ad mor-dendum concitatæ quicquid illis obviam fuit; Partim ad conspectum horum animalium , intra naves hic illic serpentium, milites conturba-ti fuerint, ad pugnam minus ideo dispositi.

Vipera nihilominus aggreditur & interficit animalia quæ in escam illæ cedere debent, cujusmodi sunt Cantharides, Scorpiones, Ranæ, Mures, Lacertæ , aliaque similia animalcula , quæ integra ab illa deglutiuntur, sed prius majoribus dentibus enecta ; minima in ventriculum immittit, majora partim in ventriculo , partim in œsophago recondit.

Vix perfecta potest fieri concoctio in Viperae ventriculo,tum quod ca-lor non ut par est in eo concentratur , ratione insignis hiatus occurentis in faucibus,ad quas pertingit œsophagus; Tum quia non sufficiens suppe-tit humidum à quo juvari possit fermentatio & alimentorum digestio: Neque tamen id prohibet quin succus , ac animalculorum ingestorum maxima pars , ad singulas corporis partes alimenti illarum causa defe-ratur ; at vero id plurimum tantum dietum spatio perficitur , quo tempo-re excrementa, & in alimento superflua, ad intestina amandantur, quo-rum partes maxime crassæ per fauces expelluntur.

Id à nobis recens observatum in maxima parte corporis Lacertæ , quam vomitu exclusit Vipera , duodecim postquam ingesta fuit diebus, in qua à me deprehensum in capite & pedibus anticis , ac partibus finitimis , quæ commodum in ventriculo Viperae situm naœtæ erant , sola fere superfuisse ossa ; maximam vero trunci partem , pedes posteriores, integrumque caudam , vix immutata fuisse ; & "eodem fere in statu ac si ea ipsa die ingesta fuissent , sicuti ex figura quam cælari curavi , id manifustum futurum est; Illud vero omnibus admirationi fuit quod partes quæ ventriculum subingredi non potuerunt, in œsophago resti-tantes , tamdiu citra ullam immutationem pellis immorari potuerint, et si subditæ livorem contraxissent, effectus , proculdubio veneni à morsu inflicti.

Viperae vitam plurium mensium decursu citra alimentum trahere pos-sunt

sunt, statim vero ac captæ sunt quidvis fastidiunt, solo aëre inspirato contentæ: Etiam si vero Lacertarum, cum sui juris, avidissimæ sunt, id tamen à me observatum conjectas lacertas vivas in doliolum, quod Viperarum viventium non exiguum numerum continebat, totis diebus & noctibus relicta, intactas tamen fuisse & impune evasisse.

Vipera substantiam obtinet viscidam & compactam, tardissime & vix dissolubilem; Cutis squamosa, quæ illam adversus aëris injurias tuetur, efficit ut spiritus massæ corporeæ tam arcte cohærent, ut vix ab hac divellantur; atque observare licet ipsos per plurimas horas in capite, ac cunctis trunci partibus permanere, etiam si hic pelle exutus fuerit, exenteratus, ac in frustilla divisus: quamobrem motus & inflexio diutissime perseverant; Caput à trunco divulsum mordere tamen valet, mortuumque non minus pernitosum infligere ac cum Vipera integritate partium corporis gaudet; Ipsummet vero Cor, è corpore evulsum, à cæteris visceribus extricatum, per aliquot horas pulsifica vi nihilominus adhuc pollet.

Unde colligere datur Viperam, ex partibus adeo arcte unitis constanter, in qua spiritus tantæ perfectionis occurunt, in homines posse transfundere id quod perfectissimum, tamque insigni copia obtinet; quamobrem nullus admirationi locus si remedia ex corpore ipsius petita tam insigni efficacia polleant.

Vipera paucissima excludit excrementa, quinimo nec foetentia, cum quæ à Colubro emittuntur foeteant, urinam adservatam & corruptam referentia; Neque etiamnum adnotare nobis unquam licuit, tetrum illum odorem referando vasa quibus concludi solent Viperæ vivæ, nisi forte quæpiam mortua occurrat, eaque corrupta; me quod spectat, nunquam injuriam intulit corruptus aër quem emitti aint à reclusis illis vasis.

Viperæ nunquam terram effodiunt, latebras quæsituræ, sed ut plurimum inter lapides delitescunt, aut ædificiorū ruinas; inter quas non raro magno numero congestæ & congregatae occurunt; sereno tempore, rubos querunt & densas herbas.

Bis ut plurimum in anno coeunt, primo scilicet mense Martio, alvo foetus quadrimestri aut quinquemestri spatio gestantes, qui perfectiōnem adepti ex ordine prodeunt, per uteri emissarium solitum, neque exiguo numero, videlicet ad viginti usque & viginti quinque: In exitu secum abstrahunt exiguum membranam, ab umbilico pendentem, nempe secundinam, quam mater paulatim lingua divellit, prout utero elabuntur.

Viperæ pellem quotannis exuunt, imo aliquando autumno; quo fit

ut non immerito quidam crediderint inditam esse vim Viperis vires cōservandi eorum qui illas præservationis aut curationis causa adsumunt, easque quasi innovandi.

## DESCRIP T I O   V I P E R Æ ,

*De partibus primo in conspectum venientibus ,*

## C A P U T   I I .

*De Viperæ figura aut forma exteriore ,*

## S E C T I O   P R I M A .

**V**Iperæ mares & fœminæ, in Gallia notæ , cum adultæ sunt me-  
dio suo corpore crassitatem pollicis adæquant ; In fœminis ve-  
ro , cum fœtus maturos gerunt, crassior est truncus : Ut plurimum bi-  
pedalem attingunt longitudinem , imo nonnullæ illam excedunt ; Ca-  
put , quod depresso est , circa extremitates partis superioris , quasi  
limbo reflexo exaltatur, qua in re à Colubris differt, quibus ille ambitus  
retusus est & depresso, caput autem acuminatus & angustius, respectu  
reliqui corporis.

Viperæ caput integrum pollicaris est longitudinis , in vertice septem  
vel octo lineas latitudinis habens , Demum sensim declinando latitudo  
quatuor tantum aut quinque est linearum ; Circa oculorum regionem;  
alitudinis , aut crassitiei adsunt tantum duæ lineæ & semis.

Collum in maribus plerumque quam in fœminis crassius est , in non-  
nullis tamen, quando gravidæ sunt , contrarium deprehenditur , adeo ut  
marium collum crassitie superet.

Cauda in his semper & longior est & crassior quam in fœminis , conti-  
nens quippe utraque mébra generationi dicata, atque in illorū intervallo  
intersunt duæ exiguæ vesicæ, longiusculæ, receptaculi semenis vicē præ-  
bentes , in molem majorem caudam attollentes: Longitudinis quatuor  
circiter transversos digitos obtinet , in fœminis autem tres tan-  
tum ; Caudæ summa pars in maribus versus principium magnitudine  
collo fere proportione respondet & in acutum definit , non secus ac  
in fœminis : Neutrius pungit , neque ullum ibi venenum depre-  
henditur.

## DE PELLE VIPERÆ.

## SECTIO II.

**N**ulla Vipera occurrit, cuius pellis unicolor sit, quippe semper variiegata, fundum autem colore sat dissimile est, modo enim canticat, modo subrubescit, alias cineritij est coloris, alias flavi, alias ferruginei; Fundum hoc perpetuo distinguunt maculae nigræ, aut saltem reliqua parte multo magis fuscæ, quasi quosdam characteres varios aut notas numerales exhibentes, intervallis non multum inæqualibus distinctas, sibi è regione correspondentes præsertim parte superna corporis & in lateribus: Maculas quoque obtinet caput, sed duas inter cæteras insignes, cornuum figuram fere referentes, inter binos oculos enatas, expansas & adductas versus verticis ambo latera, quarum aliquando unaquæque quatuor aut quinque linearum est in longitudine, semilineæ autem in latitudine: Media parte, qua ambobus his cornibus opponitur, occurrit macula lenticulæ magnitudine, farissæ cuspide referens; atque hæc quasi prima & præcipua est cunctarum dictarum macularum, & ut sic dicam primipila earum quæ per longitudinem dorsi excurrunt.

Pellem universam contegunt squamæ, quarum maximæ, validissimæ & plurimum insignes totam partem inferiorem corporis occupant, nonnullæ capitis partem infimam. Magnitudo & robur requirebantur, illa enim parte Vipera minime omnium valida est, qua nequaquam tueri se potest; demum basin quasi & firmamentum præbent, ac propemodum pedum munere funguntur quibus serpat, ac corpus hinc inde circumferat; Grandes hæ squamæ chalybis colorem perpetuo referunt, ab extremo uno ad alterum, à colubrinis eo discrepantes quod maculae flavæ perpetuo illas distinguant: Si recedendum, aut subsistendum, expanduntur squamæ & sibi invicem quasi infibulantur: Extremitas majorum harum squamarum filo quasi quodam annexa est extremitati aliarum quarundam squamularum, universum corpus cooperientium; Quæ infra sunt caput, in latitudinem versus ambas maxillas expanduntur: Minores sunt, angustiores ac molliores quam quæ ventrem subtus vestiunt; in alias minores squamas desinentes, quarum beneficio universa capitum pars subdita contegitur, quæ ordinis initium ducentes versus extremitates anteriores, illum ad latera earum exporrigunt, usque ad maxillarum fundum.

A colli initio ad caudæ principium, tot numerantur squamæ quot vertebræ; cum porro unaquæque vertebra utrinque adnexam habeat costam, unaquæque squama utroque suo extremo occurrit acuminatae parti utriusque, clypei fere munere & sustentaculi fungens: Utrinque quoque pertingit ad finem ordinis unius minimarum squamarum quæ totum reliquum corpus investiunt; videturque eum in finem collocari ut eas excipiat: Minimæ illæ squamæ miro ordine sibi invicem attexuntur, ac mutuo sibi superincumbunt, unaquæque illatum quasi semicirculum versus sui extremitatem refert: Ordines semper oblique dispositi adparent, five oculos conjicias à lœva ad dextram, five à dextra ad lœvam, pari fere modo ac ordines tegularum vel laminarum ardosiarum tecta tegentium, in semicirculum cæsatum, quibusdam in locis familiarium: squamæ illæ magnitudine variant pro ratione magnitudinis partis integendæ; symmetria enim ubique ad amissim observatur, ad maiores squamas proportione servata, quæ ordinibus sequentibus inferiori parte conjunguntur, Observare etiam licet supra has squamas, ac per universam dorsi longitudinem, plurimas lineas directas, easque distinctas, recto filo protensas à postica capitis parte ad extremam usque caudam.

Squamæ infra caudam sitæ, ab initio ad finem usque divisæ sunt, conjunctæ tamen adparent, & in medio ordinatæ symmetria miranda ex jucunda, quarum magnitudo sensim imminuit prout & cauda.

Capitis curem contingunt etiam squamæ exiguae, ad rostri extremitatem extrorsum inflexam, imo & deinceps circumcirca ad oculos usque, porcelli rostri in morem.

Foramina tantum sex in pelle Viperina deprehenduntur, maximum est gulæ, cætera sunt ambarum narium, binorum oculorum, postremum in imo ventre situm est, in se comprehendens non modo intestini foramen, vacuandis excrementis dicatum, sed & præterea ea quæ ad partes genitales spectant, tam in maribus quam fœminis: Foramen hoc occludit prostrema squama è maximis, in formam semicirculi prominens, quæ cum ad infra deprimitur, referatur coitus tempore, sicuti & cum Viperini fœtus prodituri sunt, ac cum Viperæ fæces excernunt: Os hiat & clauditur ad animalis arbitrium; Nares semper sunt patulæ: Oculos claudunt palpebræ, pro necessitate concidentes aut elatae: Nullum Auditui patet foramen, cui sensui natura nares destinavit.

Viperæ squamosam hanc cutim bis in anno exuere solent, altera subtus latente, formam jam adepta, elegantiam majorem illico ostentante, coloremque eo qui priori inerat: Recens quoque eaque insensibiliter subnascitur, reparatura jacturam illius quæ nunc investit cum abscede.

abscesserit, adeo ut nullo non tempore Vipera duplici cute amicta incedat, utraque vero, etiam si squamis obsita, pellucida tamen si ad lucem explicata fuerit.

Externa hæc descriptio sufficiens futura videtur iis qui solummodo discrimen Viperarum à cæteris Serpentibus disquirunt; at vero descriptio anatomica cunctarum partium quæ cuti subjacent, multo plus emolumenti allatura est, magisque iis necessaria qui desiderio tenentur cognoscendi quid revera probi quid improbi Viperæ insit.

## DE PARTIBVS CAPITIS VIPERÆ,

### C A P U T I I I .

#### *De Rostro & Naribus.*

#### S E C T I O I .

**I**N TIO ducto ab extremo capite, obvia fiunt Rostrum & Nares; Prius constituitur ex osse partim cartilagineo, in ambitu musculis quibusdam instructo, quorum origo alibi quærenda, comites etiam habentium quasdam venulas necnon & arteriolas; Os istud præterea investit cutis squamosa, sicuti diximus, in limbum extrorsum reflexa in extremitatibus.

In utroque latere duo meatus observantur, Nares constituentes, quorum unaquæque obtinet aperturam, vel foramen exiguum & rotundam ad dextram & lævam, parte anteriore, cum nervo proprio, à parte cerebri antica usque ad illarum orificium derivato, quorum beneficio odoratus sensu fruuntur.

Conducunt etiam iidem meatus excipiendis duobus nervulis, quorum uterque ex parte Cranij laterali prodit, ad Nares Audiendi facultatem deferens: Cartilaginosum istud os circumcirca variis angulis donatum est, articulis distinctum mediantibus validis ligamentis intus sitis, ac circumcirca partem cavam & anteriorem cranij; neque tamen id prohibet quin utcunque flexible sit in isto articulo.

## DE CRANIO.

## SECTIO II.

**C**RANIUM excavatum observatur parte sui anteriore, cavitasque illa cordis figuram refert cum os à rostro divellitur: Partes duas acuminatas obtinet, os istud ex parte amplexum: Partem illius supernam ambit exiguis limbus, coronidis in modum prominens, utroque latere emarginatus, qua parte siti sunt oculi, illorum orbitas effingens: quarum pars posterior in acumen vergit, proportione respondens anticæ parti.

Universum Cranium quoad omnes partes substantiarum est admodum compactæ & duræ: Tribus suturis præcipuis donatum est parte superiore, una quam vocare licet Sagittalem, per longitudinem dividentem partem supra oculos sitam: Secunda Coronaria dici potest, transversim cranium dirimens pone duas orbitas; Tertia autem id iterum distinguit iuxta spinæ initium.

In superficie partis superioris Cranij observabilis Cordis forma accurate efficta, in medio sita; cuius basis proxima est suturæ quam coronariæ nomine insignivæ, cuspide versus Cranij partem posteriorem vergens, tertia sutura diremptam.

Occurrit & alia insignis Sutura, cunctas partes laterales & infimas Cranij ambiens, cuius ope hoc in duo corpora divisibile est, superius unum, alterum inferius: Postremum hoc inversum dorsum refert, in longum protensum, interiori parte excavatum, vomeris figuram exhibens, alis ad latera instruetum, cuius cuspis protenditur infra interstitium oculorum: Postica autem pars ad palati usque fundum descendit, parte interiori obtinens cuspidem monticuli inversi forma, infra vergentem.

Cunctarum Cranij Suturarum compages adeo arcta est, tamque firmus ossium est nexus, ut ab invicem dirimere admodum difficile sit, multoque difficilius partes citra fracturam divellere, nisi Cranium in quopiam liquore elixatum fuerit.

## DE CEREBRO.

## SECTIO III.

**S**ubstantia Cerebri in Vipera in quinque præcipua corpora distincta apparet, quorum duo priora rotunda sunt & oblonga, unum quodque magnitudi-

magnitudinis & figuræ grani seminis cichorij : Situm obtinent per longitudinem inter utrumque Oculum ; atque ex his corporibus prodeunt nervi Odoratorij : Tria reliqua partem Cranij medium occupant, infra supra memoratam cordis figuram : Unumquodque illorum corporum magnitudine accedit ad granum seminis lithospermi , pyriforme ut cunque ; cuspipe vergente ad partem capitis anticam ; Ex illis corporibus duo sita sunt in parte superiori per longitudinem, utrinque obversa : Tertium aliquantulum minus situm habet inferiorem in utriusque medio, potestque Cerebelli nomine donari.

Medulla spinalis unū idemque corpus cū hoc postremo constituere videtur, etiā si peculiarem sibi locum in Cranij parte postica vendicet: Substantia paulo candidiore prædita est, ac molliore corporibus de quibus modo à nobis actum, magnitudine exigui grani tritici: Ex illo deducitur corpus ejusdem substantiæ in longum productum , ac recta linea transversim cunctas vertebraes dorsi pervadens in caudæ extremitatem definit.

Corpora cerebri Viperini investit tunica sat crassa, non parum adhærens, quam duram Matrem vocare licet : Colore est nigra , quo fit ut nonnulli Auctores , quibus cura non fuerat disquarendi quid sub illa membrana delitesceret , pronuntiaverint Cerebrum Viperinum atri esse colores : Infra duram hanc matrem unumquodque Cerebri corpus donatum est tenuissima membrana obvolvente, quod Piam matrem forte dixeris.

Interstitia quædam corpora hac dirimentia occurunt, quinimo & in medullæ spinalis corpore, quæ pro ventriculis haberi possunt ; nec dubito quin, si subjectum majusculum foret, observabilis esset maxima pars eorum quæ in majoribus animalibus deprehendere licet.

## DE OCVLIS, AC PRAECIPVIS PARTIBVS AD eos pertinentibus, & de iis quæ Auditui subserviunt.

### SECTIO IV.

**O**culi Viperini admodum vividi sunt, obtutus illis fixus & audax: Prædicti sunt nervis, musculis, venis, arteriis, pupilla , humore crystallino, Tunicis utea , cornea , palpebris; quoad cætera, non multum ab ludunt à partibus oculorum cæterorum animalium.

Nervi omnium manifestissimi sunt optici , qui ortum ducentes pone utrumque oculum, sibi invicem occurunt , ac per latera armescuntur cerebelli initio , figuram literæ X exhibentia; postmodum ab invicem

diducti corpusculum hoc à lateribus cingunt ; ac ad initium spinalis medullæ hos excipientis vergunt.

Exiguitas cæteratum omnium partium cum harum difficile reddat examen , ac præterea cum nihil singulare deprehendere liceat, ex mea sententia , quandoquidem illarum disquisitio admodum foret difficilis, inutilis quoque esset amplior suscepta descriptio.

Ambo corpora Cerebri superiora utrinque à parte sui lateralí antica depromunt exiguum nervum , qui perterebrato Cranio inseritur secundum longitudinem partis temporalis utrinque , ubi glandulis salivariis conjungitur , de quibus verba facturi sumus ; atque illarum comes infra oculum vergit, ubi in duos ramos dividitur , quorum præcipuus ossi inseritur, ac Narium meatui , facultatem auditricem illuc delaturus, Minor autem ad dentes caninos derivatus, in illis definit, sed prius ex se plurimis diffusis ramusculis.

## *DE OSSIBVS CAPITIS CRANIO de articulatis.*

### SECTIO V.

**E**X utroque latere superiori mediæ partis cordis , à me supra memoriati, superiori Cranio insculpti; occurrit exiguum os depresso, sexquilineæ circiter longitudinem obtinens, articuli in modum sed valide connexum, quod eidem Cranij lateri adhærens, ad partem usque illius posticam pergens, novo articulo alteri ossi plano conjungitur , longiori & validiori, cubitum quasi ibi efformans : Postremum os hoc inferius tendit, validaque insertione interiori extremo maxillæ inferioris adnectitur; ad cuius articuli medium pertingit maxilla superior, ibique coarticulatur , sed non adeo valido nexu , quia prædicta est aliis articulis, quibus inferior destituitur : Ossa hæc , quæ clavicularum fere vicem obtinent , maxillis fulcimentum præbent , atque ad earum constrictionem & diductionem utiles sunt, coadjuvantibus musculis & nervis, à Natura provida concessis.

Reperitur quoque in unoquoque extremo productiori orbitæ officulum quoddam teres , longitudine circiter duas lineas cum semisse obtinens, cuius articulus validissimus est, una cum radice dentis canini, cuius alteri extremo arctissimus etiam nexus est cum medio maxillæ superioris, tum fulciendæ illius gratia, tum exterius producendæ una cum majori dente, cum sursum adducitur mordendi causa.

Maxilla superior antica facie in duas dividitur partes , distinguitur autem

autem mediante osse cartilaginoso rostri, quo utraque extremitas utrinq; desinit & connectitur per articulum: Ambæ hæ maxillæ multo magis introrsum vergunt quam inferiores, majores autem dentes extra ordinem debitum siti sunt, & ad earum latera, extrorsum vergentes ac munimini vicem præstantes: Ex unico osse ambæ constant, decem circiter linearum longitudinis.

Maxilla inferior bipartita etiam est anteriori parte, hæ maxillæ invicem connectuntur beneficio musculi ipsas diducentis aut contrahentis ad nutum animalis; nullo alio accedente articulo præter eum quem adduximus, videlicet extremitatis internæ cum clavicula è cranio deducta; & extremitate interna maxillarum superiorum.

Unaquaque istarum maxillarum ex duobus constat ossibus circa medium maxillæ articulo conjunctis, anterius supra & infra inferius complectitur, eoque loco versus externam partem flexible est cum Vipera morsu quidpiam impeditura est, in extremo versus interiora tantillum reflexum, atque unico huic osse dentes inferiores infixi sunt.

## D E D E N T I B V S.

### S E C T I O VIII.

**I**ntr Antiquos insignis fuit dissensus quoad numerum Dentium majorum quibus prædicta est Vipera; plurimis censentibus hac parte fœminam marem superare, atque ex numero ampliori magnorum dentium indicium sexus desumi debere: Studium adhibui & diligentiam in rei disquisitione, plurimumque Viperarum gingivas patienter scrutatus sum; omnibus vero rite pensitatis nullum unquam mihi occurrit discrimen in utroque sexu, sed modo plures modo pauciores à me deprehensi: Forte quidem obviam habui utroque in latere duos majores dentes fixos, juxta se fitos tum in maribus tum fœminis; sed in maxima utriusque sexus parte unicum utrinque fixum offendit, circumdatum plusquam media sui parte in altitudine, tunica vel vesicula sat densa, turgida succo flavescente pellucido, mediocriter fluido: atque intra hanc vesiculam, medio in succo, infra majorem & præcipuum dentem, seriem aliam dentium inæquali ordine sitorum deprehendi, inæqualis etiam longitudinis, cum alijs aliis emineant: omnes sunt adunci, quos observare mihi licuit modo binario numero, modo quinario, imo senario & septenario ex eodem latere, infra unum eundemque dentem intra eandem cystin.

Majores hi Dentes occupant solummodo partem superiorem, ad la-

tera siti & extra animalis maxillas, ubi propugnaculi quasi munere funguntur; in longitudine duas circiter lineas obtinet, adunci, albi, concavi, ubique fere diaphani & usque ad cuspidem, eamque accutissimam: Versus radicem plurima adsunt exigua foramina quibus cæteri dentes infixi hærent; Dentes hi plerumque secundum maxillæ longitudinem jacent, cuspis vero eo demum momento se exserit quo mordendi desiderio Vipera tenetur, tunc enim temporis illos erigit, atque una cum maxilla superiore extrorsum protrudit, ab osse educta, quod uno extremitate circa sui medium articulo jungitur, altero radici majoris dentis.

Succus Flavus, vesicula contentus, non modo conductus humectandis ligamentis, iisque idoneis reddendis flexilitati dentium, sed & præterea illorum nutritioni, atque incremento illorum qui illic consiti sunt tanquam in seminario, atque ut sic dicam tanquam dentes in subsidium præcipuorum adparati, sive à conatu aliquo deficiant, sive sponte excidant.

Cunctæ maxillæ, infernæ & supernæ, instructæ sunt dentibus adun-  
cis, cavis, diaphanis & tenuibus, cujusmodi etiam sunt majores dentes  
canini, sed magnitudine his multum inferiores sunt: Numerus non om-  
nino certus est, sive Natura modo plures modo pauciores generet, si-  
ve præ tenuitate fragiles evadant: Non multum differt numerus superio-  
rum à numero inferiorum: Octo ut plurimum Dentes unamquamque  
maxillam muniunt, sed aliquando novem, decem, imo & undecim in  
unaquaque maxilla à me deprehensi: Qui magis prominent iidem pau-  
lo majores sunt quam ii qui altius sunt infixi, imo sicuti inferiores situ  
respondent dentibus caninis supra illos positis, circa extremitatem u-  
traque ex parte obtinent dentem, paulo majorem omnibus illis qui in a-  
liis maxillis occurunt, alium præterea à latere minorem, in extremitate  
partis intus recurvæ.

Maximum in dentibus & maxillis Viperarum adeat discriminè à Co-  
lubrinis, Coluber enim caninis donatus non est: at vero etiamsi in illis  
maxillæ omnino non secus ac in Viperis anteriori parte distinctæ sint,  
has tamen numero maxillarum superant, quatuor enim donantur  
maxillis superioribus, duabusque inferioribus, ex superioribus duæ sitæ  
sunt secundum longitudinem, ac juxta labii marginem, & muniti  
quasi vicem præstant reliquis duabus maxillis, eodem loco sitis sicuti  
in Viperis: Præterea à me numerati tredecim dentes in unaquaque  
maxilla inferiori, viginti autem in singula maxilla superiori interna, a-  
deo ut à me observati fuerint nonaginta duo dentes in unico Colubro,  
qui cuncti omnes adunci erant, tenues, cavi, albi & diaphani, non  
secus ac in Viperis.

*DE NERVIS, VENIS, ARTERIIS, AC  
Musculis Capitis in genere.*

## SECTIO VII.

**N**ervi capitis Viperini maxime conspicui sunt, primo à nobis superius memorati, scilicet Odoratus, Oculorum & Auditus; ad sunt præterea ii qui Gustui destinantur, is quem Vagum appellant, qui postmodum in partes omnes vitales & naturales diffunditur præter eos qui è medulla spinali elapsi per universum corporis habitum diffunduntur; Sunt & alii Nervi plurimi ex parte cerebri inferiori orti, cranium perforantes; Ratione vero eximiæ tenuitatis arduum est ipsos ad insertionem usque persequi.

Sed & præterea insignis Nervus adparet è cranio emergens, pone nervum auditui dicatum, in interstitio relictæ exigua apophysi in cranio; Is per longitudinem clariculæ descendens excurrit ad maxillam inferiorem, cuius medio inseritur, demum ad illius anteriora pergit, ac diffunditur in singulos dentes illi adfixos.

Arteriis quoque & Venis donatum est Caput, quæ ex Corde & Jecore ortum ducentes, in sexcentos ramos dirimuntur, cuius singulæ illius partes irrigantur.

Plurimis quoque Caput instructum est Musculis, ad latera & infra Cranium, ut & circa claviculas ac maxillas, tum superiores tum inferiores, quorum usus est non solum explendorum gratia Cranii spatiorum vacuorum, ac contegendorum ossium inibi articulo junctorum, sed & præterea causa motus partium omnium illo gaudentium, cui rei nervi suum symbolum conferunt.

*DE GLANDVLIS SALIVARIBVS IN VIPERA*

## SECTIO VIII.

**C**um Antiquorum opinio, qui veneni Viperini sedem in felle constituebant, è quo ad gingivas usque excurreret mediantibus vasis fictitiis, verisimilitudine meo judicio omnino careret, explodendam illam censui, ac rem disquisitione singulari explorandam, veritatem consequendi gratia.

Demum observationes singulares ea de re à Domino Redy, Nobili Florentino emissæ, Viro eximiis dotibus suspiciendisque ubique notis-

simo , mihi , sicuti & cunctis in quorum notitiam & examen dévenerunt , visæ sunt non modo rationi consonæ & possibles , sed præterea in sentētiam Viri Illustris , candore & eruditione illius fretum , me pertraxerat : Illi confisus , citra ullius periculi metum , non semel sed sæpius , fel Viperinum ori indidi , nec non succum flavum , in vesiculis gingivis adfixis contentum , ac utrobique verum à me deprehensum id quod ab illo ob-servatum ; animadversus videlicet intensus amaror , insigni acrimoniae in felle conjunctus : In succo autem flavo gingivarum , salivæ saporem fere insipidum , nec multum absimilem saporis qui inest oleo amygdalarum dulcium .

Insignes illæ qualitatum in utroque succo differentiæ , opinionem mihi fecerunt non exigui quoad materiam discriminis , nec non circa singu-lorum originem , ac suspicio illico incidit Viperam forte vasis salivari-bus præditam esse , cuiusmodi in homine ab aliquo tempore deprehensa sunt , ac variis animalibus , adeo ut præmissis plurimis disquisitionibus , non sine summa sedulitate , comiteque patientia , in multis capitibus Viperinis : tandem à me observatæ glandulæ , idoneæ generationi ac distributioni hujus succi ad gingivas : Remoto vero omni dubio , has ip-sas demonstravi eruditis quibusdam Medicis , ex illorum numero qui interfuerant conventibus in ædibus meis haberi solitis : Idemmet rem exploratam & ulterius compertam habere voluere , atque sedulo insti-tuto examine partium à me ipsis indicatarum , non modo veritati rem conformem observavere , sed præterea ab ipsis deprehensa exilia vasa majori numero quam quæ meis oculis se obtulere , quorum nonnulla , Venæ & Arteriæ , supra glandulas feruntur , alia vasæ , videlicet Lym-phatica , inferius decurrunt : Adeo ut , ex illorum sententia , constitue-re audacter mihi licuerit , tanquam certas , & indubitatæ fidei has glan-dulas , quas describo , & Salivarium titulo dono , utpote probe ab ipsis agnitas , etiam si Dom . Redy de iis dubie tantum pronunciaverit , eo quod à se exploratæ non essent , neque illarum descriptio à quoquam au-thore ipsi vel mihi cognito occurrat .

Glandulæ hæ in quovis Viperino Capite occurrunt , tum in mare tum in foemina ; Situm habent in utroque latere , ac juxta cranium , in parte postica uniuscujusque orbitæ , eandem altitudinem cum oculo servantes : Plurimæ simul deprehenduntur conjunctæ , quas Glandulas Conglome-ratas recte dixeris , ex forma & colore sat manifestas , quo discrepant à vicinis musculis , ex quorum numero unus occurrit , qui Temporalis vo-cabulo indigitari potest , illas ex parte extremo suo contegens .

Glandularum illa congeries inibi obvia fuit magnitudine oculi proxi-mi ; ac in longitudinem exponrecta : intra orbitam progreditur , infra

ac partim retro oculum : Unaquæque Glandula exili suo vase Lymphatico donata fuit, inde originem, tanquam ex exigua papilla ducens, succum in se contentum exonerans in aliud vas, sed amplius, quod per longitudinem harum Glandularum, sed infra decurrit, desinens in gingivæ vesiculam, medium articulum radicis majoris dentis pertingens, una cum cantho orbitæ produetiore, & officulo quod altero extremo medio maxillæ superioris coarticulatur.

Præcipuum hoc vas, solitarium perpensum, specie quidem admodum exiguum est, sed quod revera quasi magnum quid in considerationem venire debet, quandoquidem in id confluunt cuncta exilia vasæ ex unaquaque Glandula emissæ; onus deponens in vesiculam gingivarum, & ad eas transferens succum illum salivarem, viribus forte affinem & qualitatibus hominis Salivæ, aut plurium animalium.

Nervus in nares qualitatem suam Auditricem deferens, per aliquod spatium secundum has glandulas decurrit; cujus etiam comites sunt, sicuti ante dixi; exiguæ venaæ & arteriolæ.

Probe autem perpensa substantia, qualitatibus & situ harum Glandularum, existimatum frustra non fuisse illas conditas, sed in eum verosimiliter usum ut humiditates tum Cerebri tum Oculorum, partiumque vicinarum exciperent: Hanc vero ope illarum factam excretionem admodum utilem esse, quinimo & omnino necessariam partibus hos liquores excipientibus, tum humectandi gratia majorum dentium ligamenta, illaque flexilitati idonea reddenda quando Vipera morsui se accingit; Tum irrorandi, & incrementum dentibus præbendi, quibus Natura situm dedit & collocavit in medio hoc succo.

Præterea seorsum examine facto utriusque, glandularum & succi, ex sapore judicio facto, à nobis idem omnino animadversus cum gingivarum succo, à Dom. Redy descripto, plurimum nempe ad eum accedens quem exhibet oleum amygdalarum dulcium, omnino amaritudinis expers, etiam si deinceps levis acrimoniae sensus in ore superstes sit, qualis ut plurimum in quavis saliva occurrit.

Minimas Glandulas, à Domino Redy in fundo vesicularum hunc succū continentium, observatas quod attinet, assero me non levi adhibito studio & diligentia eas disquisivisse; speciem autem quandam glandularum occurrisse, ipsis vero dissectis aliud nihil præter exiguos quosdam dentes inclusos adnotasse, illis accensendos quos ante vocavi subsidarios, sed nihil me in iis deprehendisse glandulosum, vel quod accederet ad formam & substantiam vel qualitates Glandularum superius à me descriptarum.

Non sola Vipera ex Serpentum genere Glandulis salivibus donata

est, à me enim illæ in capite Colubrino visæ, secundum longitudinem congestæ, situm obtinentes infra, ac proxime unamquamque maxillam superiorem externam, quibus munimentum præbent propemodum sicuti dentes canini Viperae.

Animadversiones hæ, plurimis præterea experimentis à me factis roboratæ, in libri serie adducendæ, impulerunt me ut Glandulis his Salivarium nomen imponerem, illisque genuinam succi istius flavi originem adscriberem, ad infamiam usque perperam descripti & agniti decantati, quippe qui nihil aliud est quam mera & innoxia Saliva, Hac vero spe fruor futurum ut qui sedulo & accurato examine, ductum meum sequendo, has Glandulas scrutati fuerint, uti & Gingivarum succum, in partes meas veniant.

*DE CAETERIS VIPERAEE OSSIBVS,  
ac Partibus præcipuis inde deductis.*

CAPUT IV.

**I**Nsignis Ossium numerus qui in Vipera occurunt à perlustratione eorum quos continet caput, in solis vertebris & costis constituendus; Vertebræ initium ducunt in cranij parte postica, cui prima vertebra coarticulatur, cæteræ ex serie collocatae sunt, valido nexu mutuo conjunctæ, ad caudam extremam usque exponentes.

Vnaquæque Vipera, tum mas tum fœmina, centum quadraginta quinque Vertebris donata est, à fine capitis ad initium usque caudæ, ducentis autem nonaginta Costis, qui duplicatus est vertebrarum numerus, quarum unicuique binæ coarticulantur Costæ, una ex singulo latere, complicatae, & partes tum vitales tum naturales complexæ; uniuscujusque cuspidi pertingente ad unum extremum majoris squamæ, infra ventrem sitæ, ambabus communis, adeo ut totidem occurrant majores squamæ sub ventre, enumeratione facta à fine capitis ad caudam usque principium, quot deprehenduntur vertebræ costis associatae.

Sed præterea numerantur viginti quinque vertebræ à summa cauda ad extremam usque, quibus nullæ costæ cohærent harum vicem tenent pusillæ apophyses: harum magnitudo, uti vertebrarum, immunitur prout ad summam caudam accedunt.

Observabiles sunt quatuor insignes Musculi, validi & prolixii, è postico capite originem ducentes delati, duo ex uno quoque latere, ab apo-

apophysibus spinosis, unus juxta spinam, alter ad latus & paulo supra priorem, cui per longitudinem comitem se adjungit, ad extremam usque caudam.

Ad sunt præterea duo musculi magni, ejusdem cum prioribus longitudinis, vertebrarum interiori parti connexi, ab his à principio ad finem indivulsi, non secus ac superiores.

Ex utroque etiam latere obvij fiunt totidem musculi Intercostales quot vertebræ: eidem usui ac in cæteris animalibus conducentes, costas separantes, à radice ad cuspidem usque: Cunctis his musculis adso- ciant se venæ & arteriæ, non secus ac majoribus.

## *DE PARTIBVS VIPERAÆ INTERIORIBVS.*

### C A P U T V.

## *DE LINGVA VIPERAÆ.*

### S E C T I O I.

**L**ingua, quam Vipera vibrat extrosum, sæpiissimeque ac celerrime retrahit, prima occurrit; Inter duas maxillas inferiores situm obtinet, constituta ex duobus corporibus carnosis, longis & rotundis, in cuspides acutissimas & admodum flexiles desinentibus: Contigua sunt ambo hæc corpuscula, secundum longitudinem sibi cohærentia, à radice ad duas circiter tertias partes longitudinis: Dimidia pars interna horum corporum colorem gerit carneum; altera dimidia, (illam subaudio quæ extra os sæpius exseritur,) colorem præbet nigricantem.

Lingua sesquipollicem prope longitudinis obtinet: Radix illius initium dicit circiter semipollis latitudine infra imas fauces: validissime adnexa colli inferiori parti, duobus corporibus tendinosis, duas vel tres lineas longitudinis obtinentibus.

Occurrunt præterea Viperæ quarum Lingua modo tribus modo quatuor cuspidibus prædita est, Cuspides has, quanquam creberime vibret, nequaquam tamen illæ pungunt, cuvis innoxiae; ignaris tamen terrorem incutere valent: Hanc utilitatem præcipue Viperis præbent, dum inhiant animalculis quibusdam devorandis, Linguam obtegit va- ginæ quædam species ab extremo uno ad aliud.

## DE TRACHEA ARTERIA ET DE PULMONIBVS.

## SECTIO II.

**A**Spera Arteria situm habet infra & secundum universam linguae longitudinem, velaminis parte anteriore quasi speciem illi praebens: Illius initium est in summis faucibus, ubi exhibit foramen ovale, sursum adductum, exiguo quasi rostro parte inferiore praedita: In sui exordio componitur ex pluribus annulis cartilagineis, mutuo sibi conexis, ad longitudinem circiter transversi crassioris pollicis exorrectis, ad latus dextrum Viperæ pertingentibus, ubi Pulmonibus obvij sunt; quo cù pervenere, soli conspicui sunt semi annuli inversi specie, qui utrinque conjuncti membranis quibusdam à Pulmone dependentibus (cui etiam ab uno extremo ad aliud adnectuntur, coadjuvante eodem Pulmone) respirationi conducunt, seriem & connexionem producendo ad quartam usquæ Jecoris partem, ipsi non secus ac Cor subditi.

Trachea arteria ad summum octo aut novem pollices longitudinis possidet; qua vero parte semi annuli desinunt, conjungitur membranae aërem allicienti & excipienti ad initium usque intestinorum, ubi sacrificare speciem, cuius fundum rotunda figura donatum est, exhibet.

Pulmo Tracheæ Arteriæ conjunctus, unum idemque corpus constituant, situm ideo in latere dextro obtinet: Principium dicit ubi desinunt annuli integri Tracheæ Arteriæ.

Pulmo retis formam refert, lobis omnino carens, colore est ruber, admodum vivo & rutillo, substantia tenui, utcumque diaphana, & rugosa; mediantibus membranis annexatur parti superiori anulorum imperfectorum; septem octo pollices transversos in longitudine obtinet, ac fere semitransversum digitum in latitudine: Venis & arteriis ubique conspersus est.

## DE CORDE ET IECORE.

## SECTIO III.

**C**OR & Jecur situm etiam obtinuere in latere dextro Viperæ; Ante Cor autem occurrit ad distantiam circiter tertiae partis transversi digiti, corpusculum quoddam carnosum, aliquantulum depresso, exiguum pisum magnitudine referens, aqua refertum: Corpusculum hoc situm habet infra Pulmonem sicuti Cor & Jecur; suspensumque detinetur

tinetur beneficio earundem membranarum : Vices forsan tenet Thy-  
mi glandulæ , eosdemque forte in usus conditum.

Cor situm est ad distantiam quatuor aut quinque pollicum infra prin-  
cipium Pulmonum ; magnitudine adæquat phæsolum aut exiguum fa-  
bam : Longiusculum est, carneum pericardio circumdatum, quod con-  
stituitur ex tunica sat crassa : Ventriculis duobus donatum est, uno in  
latere dextro, altero in sinistro : foraminibus duobus quoque pertusum  
est : Sanguis è Vena cava exiliens ventriculum dextrum subingreditur ,  
ac sinistrum subiens , ex illo per Arteriam Aortam egreditur , quæ sta-  
tim in duos insignes ramos dirimitur , quorum unus ad partes superiores  
migrat , alter infra oesophagum demersus , oblique delatus , postmo-  
dum in plurimos ramos distinguitur , diffusos ad cunctas & singulas par-  
tes , caudam etiam extremam.

Jecur Corpus est carneum , coloris rubri obscuri , situm semipollicis  
distantia infra Cor, suffulcentibus iisdem membranis: Quoad longitudi-  
nem & crassitatem inæqualitas quædam observatur : Maximum Jecur  
quinque aut sex pollicum latitudinem natum est , latitudinem semi-  
pollicis.

Componitur ex duobus insignibus lobis , quorum dexter protendi-  
tur ad pollicis integrā latitudinem infra sinistrum : horum lobarum  
utrumque irrigat Vena cava , quæ ambo hæc corpora secundum longi-  
tudinem dirimere videtur , id quod revera præstat in dimidia parte in-  
feriore , per illorum interstitium delata , ac in unum corpus illa conjun-  
gens : Jecoris pars media superior continua est , neque citra dissectio-  
nem dividi potest.

Truncus Venæ Cavæ in duos ramos distinguitur parte superiore ,  
quorum præcipuus & maximus Cordi inseritur ; alter infra Pulmones  
meat , inde ad partes superiores : Eadem vena cava parte inferiore  
in plures ramos diffinditur , ad cunctas partes inferiores distributos.

Nullum in Vipera occurrit Septum transversum , vel ulla densa tunica  
transversim partes vitales à naturalibus dirimens : Nisi quis forte dixerit  
tenuem illam tunicam , ex Trachea arteria derivatam , & Pulmone ,  
ad intestina usque protensam , fundi facci effigiem quodammodo præ-  
bentem , ejus vices quodammodo supplere.

*DE FELLE, DE PANCREATE, QVOD ANTIQVI  
Splenis nomine donavere.*

## SECTIO IV.

**C**Ystis fellea situm habet infra Jecur ad transversi digiti latitudinem, & ad ventriculi fundi latus versus sinistrum vergens: Forma & magnitudine propemodum refert, exiguum fabam, plana sui parte sitam: Fellis color admodum est viridis, sapor valde amarus & acris, consistentia fere qualis in syrupo rite cocto.

In Fellis vesicula unicus obvius mihi fuit exitus, mediante exili vase, quod egressum ex interno latere partis illius superioris, à sui origine incurvum est, ac descendens, & adhærens, etiam à principio parti internæ istius vesicæ, postmodum dividitur in duos ramos, quorum præcipuus, & rectissimus, transmeans id corpus quod ab Antiquis quasi Lien habitum est, transit in intestinum à quo excipitur: Alter minor ramus, reflexus, ad Jecur remeare videtur, sed in plurimos ramulos distinctus, oculos postea & discretionem subterfugit.

Animus non est hoc loco sententiam Antiquorum convellere de facultate benefica Felli ab ipsis adscripta, controversiam in alium locum transmittens, quo pro viribus tuebor hujus succi vim balsamicam, omnino veneni expertem esse demonstraturus.

Pancreas, ab omnibus Auctòribus Lienis nomine donatum, situm est iuxta ac tantillo spatio infra fel, & in latere dextro Viperæ: pisi majoris magnitudinem attingit, substantia illius specie cárnea est, at revera glandulosa: Ex illius autem situ, qui est proxime & juxta fundum ventriculi, ac intestinorum principium, judico potius Pancreas esse quam Lienem: Controversiæ tamen decisionem illis concedo qui rem proprius pensitaverint.

*DE OESOPHAGO ET VENTRICULO.*

## SECTIO V.

**O**Esophago initium est in imis faucibus, situs in latere sinistro, recta via progreditur ad latus pulmonis & jecoris, quo usque orificio ventriculi conjungatur: Ex unica membrana constituitur, molli admodum & extensili, quæ etiamnum ad duorum digitorum magnitudinem diduci & intumescere valet; Primus ille excipit cuncta animalia à Vi-

à Vipera , beneficio majorum dentium occisa , atque integra deglutita; cui officio idoneus est tam vastæ capacitatis ratione , quam longitudinis , quæ pedalis est.

Ventriculus contiguus illius fundo attexitur , atque unum idemque cum illo corpus constituere videtur ; multo tamen crassior est , instrutus duabus validis membranis sibi mutuo intextis & cohærentibus ; Ob prædictam tunicarum illarum crassitatem ad eandem capacitatem sicuti oesophagus adduci nequit , vix enim pollicis crassitatem attingere potest : longitudo est trium quatuorve pollicum : orificium satis quidem patulum , sicuti & medium , at circa fundum in angustiam abit , plerumque arête constrictum , tunc tantummodo hians cum in intestina excrementa amandaturum est : Tunica interna admodum rugosa est quando inanis , in qua sèpissime occurunt plurimi vermiculi longitudinis & crassitiei instar minimarum acicularum : Ventriculus ad latus sinistrum situs est , sicuti & Oesophagus , fundum autem versus medium corporis vergit , in primum intestinum se exoneraturum.

Longitudo & capacitas Oesophagi , ac latitudo introitus ventriculi , Viperæ indoli admodum consonæ sunt , quæ nihil commansum in ventriculum demittit , sed animalia integra in escam adsumit , modo majora modo minora : Si quando vero longiora occurant ipsa ventriculi profunditate , reliquum oesophago impactum hæret , quo usque ventriculus extraxerit ac in universum corpus amandarit succum partium deglutinarum ; quas continere valuit ac postmodum illas excipit quæ in oesophago hæserant ; at non exiguum temporis spatum ad id requiritur , eo quod ventriculus nequaquam occluditur , neque sufficientem calorem comparare potest ad citam concoctionis perfectionem.

## *DE INTESTINIS, RENIBVS, ET PINGVEDINE, & Tunica inferius sita, illas partes amiente.*

### SECTIO VI.

**V**iperalium intestina medio in corpore sita sunt , infra spinam dorsi , immediate infra fundū ventriculi : Tria tantū à me observata sive re , quorū prius , omniū angustissimū , Duodeno respondet ; Secundum , quod latius , plurimis anfractibus donatū , Coli nomine insigniri potest ; Tertium autem & postremum Rectum est , quod etiam latissimum est & directum , hians infra & juxta caudæ initium , ubi excrementis exitus patet .

Intestina ad latera habent Testiculos cum propriis vasis , tum in matribus tum in foeminis , cum duobus , in his , uteri corporibus , de quibus

ectione sequenti verba facturi sumus: Occurrunt etiam Renes cum vasis ex illis prodeuntibus, cornitibus venis & arteriis, sicuti & vasibus omnibus ad generationem comparatis; neque his destituta sunt intestina.

Renes infra Testiculos situm nocti sunt, ex pluribus corporibus glandulosis contexti; contiguis; per longitudinem & ex serie dispositis: Plerumque longitudinem duorum pollicum & semis obtinent; latitudinem in parte convexa, utcunque tamen depressa, duarum linearum & semis: coloris sunt subrubri & pallidioris: In utroque sexu dexter sinistro altior semper situm possidet; Donati etiam sunt ureteribus, per quos serum juxta extremitatem intestini excludunt.

Cunæta Intestina, Testiculi, & Renes obvoluta pinguedine albissima & mollissima, quæ liquefacta olei formam retinet: Observatur etiam in nonnullis Viperis aliquid pinguedinis juxta Cor, Pulmonem & Hepar, ac præsertim juxta fel, ac prope partem illam quam nonnulli Lienem vocant, alijs Pancreas.

Omnis has partes ambit & investit tunica valida, valide extremis costis adnexa, quæ pro Epiplo haberi potest si cum pinguedine perpendiculariter: Cum porro Vipera, quæ in Serpentum est genere, animalibus tantum imperfectis accenseri possit, nomine quopiam Tunicam hanc donaturus non sum, arbitrium imponendi concedens me cruditioribus.

## DE PARTIBVS VIPERAE, GENERATIONI DICATIS.

### C A P U T VI.

#### *De Partibus Generationis in Mare.*

##### S E C T I O I.

**V**Ipera mas duobus gaudet Testiculis, forma oblongiuscula, subrotunda, in longitudine aliquantis per depresso; circa extremitates utcunque acuminati sunt; Color albus est, Substantia glandulosa; Longitudo inæqualis est, dexter enim longitudine pollicem excedit, sinister vero brevior est, ut & paulo minor: Uterque vix magnitudine excedit tubulum pennæ, exala caponis majoris decerpæ.

Situs illorum varius est, dexter enim incipit proxime & infra fel, sinisternero initium dicit circiter octo lineis inferius quam dexter: Uterque suspensus est parte superiore, beneficio duarum validarum membranarum

narum infra hepar orientium: pinguedine fere semper obsiti sunt, quo fit ut vix distinguantur & observentur, nam colore cum hac pinguedine conveniunt.

Ex medio quoque Testiculo, parte interna, obvium fit corpusculum longum & teres, solidiusculum, imo paulo ipsa Testiculorum substantia candidius, infra vergens, per totam longitudinem ipsis appensum, ad extremitatem usque inferiorem, pro Epidydumide haberi potest.

In uniuscujusque extremo conspicuum est initium exigui vasis, vari-  
cosi, quod functionis ratione spermaticum vocari potest; aliquantis per  
depressum, coloris candidissimi, sat pellucidi, plerumque semine tur-  
gens, lactescenti succo simili. Vas hoc sat fragile est, toto suo decursu  
complicatum, formam plurium literarum S. simul conjunctarum refe-  
rens, jucundissimo spectaculo; exinde descendit medium inter intestinum & renem, cuius ureterem comitatur ad foramen usque intestini  
recti, viam excrementis concedens: Comites quoque habet venas &  
arterias ab extremo uno ad aliud, sicuti & Testiculi, desinuntque illius  
anfractus paulo antequam pertingat foramen intestini.

Unumquodque amborum horum vasorum spermaticorum definit in proprium semenis receptaculum, è quibus duo vocantur Parastatae, si-  
miles glandulis albis, unusquisque longitudinis, crassitie & formæ grani  
seminis cardui benedicti: Glandulae hæ secundum longitudinem sunt  
protensa, infra & mediae inter duas partes naturales, succo quodam  
laetiformi semper turgent, omnino illi simili quem continent vasa sper-  
matica, à nobis modo descripta: Succum autem suppeditatura & ejacu-  
latura tempore coitus, semen intra se contentum, in canales ejacula-  
torios transmittunt ambarum partium naturalium ipsis vicinarum.

Super hæc statuo illos qui ambo hæc semenis receptacula pro aliis  
Testiculis habuere, hallucinatos esse: ratis eo quod duæ adessent partes  
naturales, unicuique etiam suum adsignatum esse debere per Testicu-  
lorum; at cum illorum substantia omnino dissideat à legitimis Testicu-  
lis, quos modo descripsimus; functio autem illorum sit excipere non  
generare, hos pro Parastatis solummodo habendos censeo qui sensim  
& paulatim semen admittant à Testiculis ad ipsos mandatum, quod ad-  
servant, & in parato habent ad tempus usque coitus; uno momento  
effecturi, & tempestive, id quod à vasis spermaticis æque cito expecta-  
ri nequit, neque tam commode, ratione longitudinis & anfra-  
ctuum.

Mas duabus membris naturalibus, omnino sibi similibus donatus  
est, quæ divulsi seorsum efficiunt longitudinem caudæ animalis: Or-  
tum ducunt ab extrema cauda sub qua situm adepti sunt secundum

longitudinem ac sibi proxima : sensim in progressu ampliantur sicuti & cauda, in cuius initium desinunt, exitum naëta æque proximum, & à latere sibi opposita, proxime intestini foramen, quod uteunque illa distinguit.

Uterque penis constat ex duobus corporibus oblongis & fistulosis, juxta se invicem sitis, circa sumnum in unum idemque corpus coeuntibus, quod præputio suo circumdate adparet, musculis donatum. Esteribus non secus ac in plurimis aliis animalibus.

Membra hæc interiori parte confita sunt plurimis aculeis, albissimis, durissimis, acutissimis & pungentibus, inibi infixis, quorum cuspis inæqualiter vergit, magnitudo autem & crassities conformis est loco membra naturalis in quo situm habent; adeo ut sicuti summitas major est & crassior, ideo ejusmodi sint aculei; tantummodo prominentes & conspicui quando præputium, ipsos operiens, deprimitur, quo tempore scilicet animal coitui se accingit.

Membra hæc naturalia semper delitescunt, nunquam turgentia, & foras prodeuntia, nisi tempore coitus, aut captum animal comprimitur, ac per vim illa exprimantur; tunc enim utrumque eodem tempore æque fit manifestum, magnitudine scilicet nuclei daëtyli, in longitudine duas tantum hujus partes depromendo; Illorum extrellum omnino opertum apparet, ac circumdate his aculeis, sicuti cutis herinacei; hi vero aculei recedunt & absconduntur intra præputium, quando compressio definit.

Exitum horum membrorum ambit musculus validus & crassus, cui cutis firmo nexo cohæret, adeo ut egerime à se mutuo divellantur: Conducit & idem musculus dilatando & contrahendo intestino.

## DE VIPERAÆ FOEMINÆ PARTIBVS generationis.

### SECTIO II.

**V**Ipera fœmina duos Testiculos obtinet, sicuti & mas, longiores tamen & crassiores, ac ejusdem figuræ; Situm naëti sunt ad latera & proxime fundum duorum corporum uterum constituentium: Dexter sinistro elatior est non secus ac in mariibus: Substantia & colore quoque admodum inter se convenient, Dexter pollicis circiter sesqui-longitudinem habet, duas autem lineas & semis in latitudine; in sinistro hujus aliquid deest: Gaudent Epidymide, vasis spermaticis semen in utrum-

in utrumque uteri corpus deferentibus, multo quam in maribus brevioribus.

Id nihilominus dixero hos Testiculos non perpetuo ejusmodi adparere in quibusvis foeminiis: emaciatis praesertim & strigosis, vel ex morbo languidis aut diurna incarceratione; illis enim Testiculi contra-huntur, breviores fiunt, marcidi, non secus ac in illis quarum ova magnitudinem insignem jam adepta sunt: A me enim observatum Testiculos illarum admodum contractos esse & exsuccos, imo & inferius devolutos, etiamsi dexter sinistro elatiorem semper situm habeat.

*Vterus* principium sui dicit à corpore sat crasso, composito ex duabus validis tunicis, quod situm infra intestinum, eodem loco orificium suum natum est; amplum est, facile dilatabile, simul & semel excipiens, per idem foramen, utrumque maris Penem, in coitu corpus istud adæquat circiter unguis magnitudinem digiti mediocris; non procul à sui exordio in duas exiguae peras divisum, in fundo hiantes, à Natura generatas excipiendi gratia, & complectendi utriusque penis maris in coitu.

Tunica illorum interior plane rugis obsita est, eaque durissima; non secus ac quæ totius corporis, cuius meminimus, adeo ut eodem tempore & doleat, & jucunde fruatur titillatione aculeorum peni masculino infixorum.

Uteri principium quærendum in ambobus his perulis, hincque in duo corpora is dividitur, quorum unumquodque ex suo latere ascendit, per Renum longitudinem, medium inter illos & intestina incedens, ad ventriculi usque fundum, quo loci mediantibus ligamentis suspenduntur, juxta Jecur enatis: fulcimentum præterea ex intervallis præbentibus exilibus quibusdam ligamentis à spina dorsi oriundis.

Bina hæc corpora conflata sunt ex duabus tunicis mollibus, tenuibus & pellucidis, sibi invicem commissis; Initium illarum situm est in fundo ambarum dictarum perularum, membrum utrumque masculinum complectentium, quorum semen utrinque excipiunt, ex quo ova generationem consequuntur, demum Viperini fœtus, à superveniente masculino semine ex Testiculis emissio.

Uterina hæc corpora facilime explicantur & ampliantur, adeo ut non exiguum Viperinorum fœtuum numerum continere valeant ad maturationis usque tempus: Contra quam nonnulli sentiunt qui Viperinum uterum ex unico corpore constare asserunt, medio in corpore situm, ac juxta decursum medullæ dorsalis, distincta vero adesse corpora, ova & Viperinos fœtus seorsum continentia.

Erroris vero ansam hinc deduco, quod cum vera hæc matricis cor-

pora admodum tenera sint, & pellucida, præsertim cum ab ovis inclusis turgescunt, aut Viperinis fœtibus, habita non fuere, ex illorum sententia, pro legitimis uteri corporibus; Decepti fuere intestina in medio sita pro utero admittentes, quia sat crassa sunt & turgida, ac unum idemque corpus constituere videntur, una cum priori corpore uteri crasso, infra quod primi intestini initium connexum est & situm.

Non soli Viperæ Uterus in duo corpora uniformia distinctus est, æqualem ex utroque latere situm obtinentia, ac per longitudinem intestinorum illa dividentium dirempta, idem enim mihi in plurimis Colubris observatum, à me dissectis veritatis adipiscendæ gratia.

## DE GENERATIONE ET NATIVITATE *Viperinorum fœtuum.*

### SECTIO III.

**E**X accurata descriptione à nobis tradita partium generationis in Vipera, facile est se extricare à cunctis fabellis in libris quibusdam occurrentibus, quoad coitum Viperarum, & Viperinorum fœtuum exclusionem, quæ recensere inutile est, ne Lectori tedium paretur.

Sat est novisse ab intromissione utriusque membra masculini in ambas uteri perulas, à nobis exaratas; Ex seminis ejaculatione utrinque & æqualiter facta in bina corpora uterina, perularum fundo connexa; Atque ex proprij fœminei seminis concurso, quod coitus tempore Vipera fœmina effundit, prius Ova formationem obtinere in utroque matricis corpore: Unumquodque illorum ambire exiguam tunicam, Imo cuncta in unoquoque uteri corpore contenta membrana communis involvi, quam revera Ovarij nomine donare possumus; Cuncta hæc proprio uteri corpore comprehendit: Ova in illo incrementum capessere, Vipereos fœtus inibi conformatioñem adipisci & perfectionem, Hos ex ordine utero egredi, eadem via qua semen masculinum viam sibi fecit; Vivos illis in lucem prodire, non secus ac plurima alia animalia, nulla necessitate superveniente quæ matri necem intentet.

Harum circumstantiarum veritatem testatam facimus, quod nobis probe perspecta sit, ab accurato examine cunditarum partium, diversis temporibus, ac in sexcentis subjectis; ab explorata & oculis obvia expansione & extensione amborum istorum corporum, etiam cum fœtus Viperini perfectionem adepti erant, instantे partu; Quod via libera nobis innotuerit per quam exitus illis esse debuit; Quod adstiterimus ipsi viventibus ipso parturitionis tempore, omnino illæsa Matre.

Superius à nobis observatum corpus Uteri Viperini dextrum plerumque ovis magis refertum esse & fœtibus, quam sinistrum: Ovorum numerum admodum inæqualem esse; aliquando adesse viginti & vigineti quinque, aliquando dimidiā partem non adesse; Viperinos fœtus in ipso ovo complementum & perfectionem adipisci; Ibi collocari ac diversimode complicari, modo omnino oculis jucundo; Unumquemque in proprio ovo secundinæ quadam specie donari, ex umbilico illorum pendentis, per quam alimentum alliciunt; Cum excluduntur, illam una secum abstrahere, et si ex parte adhuc obvolvantur; Matrem hos ab illa liberare & extricare, ac expurgare, à nativitate fœtus lambendo.

Etiam si porro quanta licuit accurata diligentia à nobis descriptæ sint partes omnes tum internæ tum externæ Viperæ, tum maris tum fœminæ, quo cuncta melius in notitiam veniant, Lectorem ad Tabulas subsequentes remittimus, in quibus eadem partes, quas modo tradidimus, exhibentur, ad vivum depictæ & æri incisæ, addita Tabularum præcedentium explicatione, spe freti fore ut illi satisfactum fiat.

**L**ectorum monitum volumus, cum initio hujus Libelli depingi curaverimus binas Viperas, marem & fœminam simul copulatas, tempore coitus; ac porro quoad formam exteriorem corporis nullum discriminem insigne inter illas observare concessum sit, præter exiguum in cauda, cuius Figura seorsum exhibenda est Tabula secunda, existimavi nequaquam necessarium esse effigiem maris seorsum offerre, satisque mihi fuit, fœminæ iconem exhibere quo tempore parturit, ac fœtus suos excludit, qui solus maxime consideratione dignus mihi visus est, figure videlicet exterioris ratione.

Neque etiam Lector immoraturus est speculationi Vipera in Tabula depictæ, quando Viperini fœtus in lucem prodeunt; nam præter symmetriam, quæ observanda fuit, exhibende etiam fuere partes quæ, me judice, maxime consideratione dignæ erunt, neque alio loco genuinam effigiem nactæ erant.

---

EXPLICATIO EORVM QVÆ CONTINET  
TABULA I.


- A A A. Designat Viperam fœminam Viperinos fætus excludentem, insinuam corporis partem prodentem, ubi conspicue sunt maiores squame, quibus ad serpendum uitur.
- B B B B. Quatuor Viperei fætus, in unoquoque Tabule angulo, involuti depicti, eodemque situ & positu quo ipsos vivos conspeximus, & exitui proximos: Quorum duo involucro carent, alter propria tunica obvolvitus; terius secundinae portionem umbilico appensam trahit.
- C C C C. Quatuor alijs Viperini fætus, intra circulum à Vipera efformatum; quorum unus serpere videtur, à secundina liberatus: Secundus hanc adhuc ex umbilico pendulam gerens: Tertius è latibra emergens ac secum secundinam trahens; eo videlicet in statu qui nativitati proximus fuit.
- D D. Pars corporis Viperae fœmina infra ventrem dissecta secundum longitudinem, & supinæ, à loco in quo sita est vesicula fellis ad orificium usque uteri; collocata intra circulum quem Vipera integra effingit.
- E. Fel.
- F. Pancreas, à plurimis Lienis nomine donatum.
- G. Fundum Ventriculi.
- H. Principium Intestinorum.
- I I I. Ova in ambobus uteri corporibus contenta, sed majori multo numero in latere dextro quam sinistro.
- K. Portio postremi Intestini.
- M M. Ambæ perulae, contiguae principio amborum corporum uteri.
- N N. Portio utrinque Renis.
- 


EXPLICATIO EORVM QVÆ EXHIBET  
TABULA II.


- A A. Prima pars dimidiati corporis Viperae maris excoriata, supini, & infra ventrem dissecti ab uno ad aliud extrellum, coniuncti.
- B B. Tracheam Arteriam
- C C. Pulmonem.


Thymum

*Fig. 1.*









- D. Thymum glandulam.
- E. Cor.
- F. Hepar.
- G. Venam Cavaam.
- H. Oesophagum.
- I. Ramum Arterie Aortae ascendentis.
- L. Ramum Arterie Aortae descendens.
- M. Ventriculum.
- N. Alterum dimidiatum corpus, eodem quo prius in statu, comprehensa dens in se.
- O. Fundum Ventriculi.
- P. Vesiculam Fellis.
- Q. Pancreas, vel si mavis, Lienem.
- R. Intestina.
- S. Testiculos una cum Epidydimide.
- T. Vasa spermatica,
- V. Renes.
- A. Maris Caudam, cui adnexae sunt partes subsequentes.
- B. Vicerque Penis, quo modo tempore coitus erumpunt.
- C. Ambo Parustatæ, aut Receptacula seminis.
- D. Ambo vasa spermatica.
- E. Ambo Testiculi.
- F. Ambo Epidymides.
- G. Intestina.
- H. Ambo Renes.
- I. Cauda fæminæ, cui adjunctæ sunt partes sequentes.
- L. Orificio uteri.
- M. Ambæ perulae.
- NNNN. Duo corpora uterina.
- O. Ambo Testiculi, una cum Epidydimibus & vasis spermaticis.
- P. Intestina.
- Q. Ren uterque.
- R. Maxima pars corporis lacertæ, ejusdem longitudinis & magnitudinis, quæ per vomitum exclusa suit à Vipera jam ante plures dies capta.
- S. Reliqua capitis pars, & crurum anteriorum ejusdem lacertæ, eodem egestorum tempore.
- T. Oesophagus, in quo cohita fuerat pars maxima corporis lacertæ.
- V. Ventriculus qui exceperat, & paulatim ad se allexerat substantiam reliqui corporis predicti animalis.


# EXPLICATIO CONTENTORVM


## TABULA III.

- A. Sceleton Viperae integrum.
- B. Caput, cui os occlusum, cum colli parte depictum.
- C. Caput, cuius os ex parte hiat, parte laterali excoriatum, ubi occurunt Glandulae Salivares, una cum vasis Lymphaticis, supra majores dentes.
- D. Caput collo nudatum, ore patulo designatum.
- E. Aliud caput sine collo magis hians, cunctas partes interiores distincte exhibens quæ depingi possunt, quarum notitia erit facilis ex lectio-  
ne locorum ubi de illis agitur.
- F. Cranium Viperae integrum.
- G. Pars inferior istius Crani ablata.
- H. Glandulae salivares Conglomeratae, una cum vasis propriis Lymphaticis  
depictæ, naturalibus paulo maiores quo melius innotescant, quan-  
quam exilitas concedit.
- I. Eadem Glandulae Salivares, Oculi ambo cum nervis eorum opticis;  
Cerebri corpora quinque; Cum medulla spinali, una cohærentia, à  
Cranio liberata, superna facie depicta.
- L. Eadem corpora conjuncta, sed facie inferiori exhibita.
- M. Varij Dentes maiores, quidam solitarij, alijs intra vesicam reconditi: alijs  
quibus adstant dentes subsidiarij, inferius intra eandem vesiculam  
infissi.
- N. Maxilla superior, Osificulo cuidam coarticulata, quod altero extremo  
coarticulatur radici majoris dentis.
- O. Maxilla inferior, ex duobus ossibus constituta, coarticulata osi inferio-  
ri clavicula cubiti in morem inflexæ, deductæ ex parte laterali po-  
stica crani.
- P. Pulmo una cum Aspera arteria extra corpus.
- Q. Cor intra pericardium.
- R. Iecur in duos lobos divisi, um mediante vena Cava.
- S. Vesicula Fætis, una cum vase succum in intestinum deferente.
- T. Pancreas, à quibusdam pro Splene acceptum.
- V. Intestina.

EXPE-

Fig. 3.







# EXPERIMENTA CIRCA VIPERAM FACTA.

---

## CAPUT PRIMUM.

*MORSVS HOMINI A VIPERA*

*Infictus.*

**A**NNO 1668. mense Junio, Viperarum viventium, marium & foeminarum, insignem numerum adferendum cutav', desiderio satisfacturus discendi quicquid Vipera probum vel improbum in se continet: Plurimi & curiosi & eruditi, ac inter hos nonnulli Medici, quorum familiaritate utor, doctrinæ singularis acutissimique ingenij, quotidie ædes meas adibant, adstituti experimentis, & ingenij perspicacia opem collaturi.

Primus conventus statim mali & funesti fuit hominis, ab inexpectato infortunio: Nobilis quidam extraneus, experimentorum testis futurus, curiositatis pœnas luit, maximam enim partem savorum symptomatum, à morsu Viperæ metuendorum, expertus est; experimentumque, nobis invitis obtulit cuius circumstantiæ nimiope insigne quam ut id supprimi debeat comites fuere: ac statim à limine id proferri debere credidi, quippe quod non solum primum occurrit, sed unicum quod plurimas easque magis singulares observationes, quam quæcunque aliae subsequuntæ sunt, exhibuit.

Prædictus Nobilis, vigintiquinque annos natus, fortuna duce in ædibus meis fuerat, quo momento quinquaginta aut sexaginta Viperæ allatae fuerant; videndi desiderio lacefrito satisfactu-

rus, ex doliolo Viperam eduxi; neque conspexisse satis illi fuit sed & illam arripuit, ac quadrante circiter horæ manibus detinuit, circumgyrationes & circa manum ac brachium convolutiones passus, quamquam mordendi tentigmis in Vipera nulla adessent indicia; funiculo tandem collum adstrinxit, ac suspensam cute nudavit, imo exenteravit, viscera scrutaturus: Nec mihi dubium quin statim mortu tunc impetus fuisset si Viperam in iram incitasset, sed quod mitius cum ea actum fuisset, alioque aëre quam in doliolo inclusa, in quo diutius incarcerata fuerat, grata frueretur, funiculum injici passa est, neque damnum intulit prohibente constrictione.

Postridie idem eventus non adfuit, cum enim hora solita in ædes meas convolasset, unam mensæ irrepentem animadvertisit, diutius ante tenaculis adprehensam, ira excandescensem: manu arripere voluit, quamquam omnes deterrent, quod pridie præ temeritate insolita periculo proximus fuisset; Vix arrepta Vipera caput mordendi causa reflexit, ac uno è majoribus dentibus aduncis, partem lateralem internam pollicis dextræ, paulo supra unguis exortum, mortu impedit; In superficie exiguum admodum foramen animadversum est, tantillo rubore perfusum, neque ictus aliter se obtulit quam is qui ab acicula fieri solet, nec profunde adactus adparebat: Neque supra, neque in ambitu exigui illius foraminis, ullum plane vestigium succi illius flavi, quem continent vesicæ, circa majores dentes sitæ, se exhibuit, qui supra vulnera coefundi solet cum alte moxsum impegit Vipera: Illico nihilominus subortus est dolor, nec tamen tunc temporis intumuit digitus, tumore aliquot demum post horas se prodente, sicuti in serie dicturus sum.

Ere visum fuit partem scarificationibus pertundere, ac validis ligaturis superiorem partem constringere, tum coercendorum gratia effectum veneni, tum in subsidium ipsius partis lœfæ; æger vero adsensum nequamquam præbuit, malum levius ratus quam ut ejusmodi auxiliis opus esset; vix tandem scarificationes alias adinisit, ac postmodum præterea passus est, proxime locum ictum, admotionem spathulæ ferreæ, calentissimæ, iteratisque vicibus igni admotæ, id quod præstitum conservandorum gratia pororum hiantum, ac evocandi, eaque via particulari veneni, mortu inducti, exhauriendi, Interim ægro ex semicyatho vini drachmæ dux Theriaces exhibitæ sunt.

Intra brevius quam semiquadrantis horæ spatium, à mortu inficto, debilitatem aliquam animadvertisit æger, ac cathedram poscit: pallor statim vultum obsidet, Pulsus minimus evadit, creberimus ac debilis, imo intercisis: Symptomata dicta consequuntur motus convulsivi, cum totius corporis rigiditate, maxime colli ac musculorum capitum: Eodem tempore

tempore molestum sibi esse insignem in regione umbilici dolorem con-  
questus est; frigus extrema occupat, quinimo & ipsum vultum qui uni-  
versus madore frigido perfusus adparuit; Labia intumuerant, præser-  
tim inferius.

Eodem tempore, urgentibus & sœvientibus circa umbilicum dolori-  
bus, ac reserari alvum animadvertis, surrexit, sed exclusis aliquot  
excrementis in leipothymiam incidit, ac ore non modo adsumptam  
Theriacam exclusit, sed & quævis in prandio ingesta, concoctionis ad-  
huc expertia: In subsidium accurrimus, tantaque debilitate occupa-  
tum videmus, ut nequaquam cubiculum, unde descenderat, repetere  
valuerit: Cū vero debilitas pulsus & parvitas perstaret, frequentia & inæ-  
qualitas, leipothymiae vero crebro instarent, cum perpetuis sudoribus  
frigidis, ex communi eruditorum consilio data est drachma una Pul-  
veris Viperini ex aquis Theriacali & Cardui benedicti; superimposito  
cordi & ventriculo grandi epithemate ex Theriaca, sed ore adsumpta  
vomitu expulit: Nonnemo Antidotum Orvietanum præbuit, remixtam  
novo Pulveri Viperino, non secus etiam exclusam, rogans lecto impo-  
neretur ac de aliis auxiliis cogitatetur.

Interim nunquam neque judicium neque sensus externi defuere, sed  
mente semper valuit, etsi summa adesset virium debilitas: Orvietanum  
autem ægerrime adsumpscerat, antidoto illi nequaquam fidem adhi-  
bens; sed annuens solummodo votis quorundam, quos veneratione pro-  
sequebatur, pharmacum hausit.

Cum præ urgente vomitu remedia ad partes principes nequaquam  
deferri possent, tempestivus admodum usus est usus salis volatilis Vi-  
perini, quippe qui totus volatilitate gaudens, admodum idoneus est  
qui citissime ad cunctas corporis partes diffundatur, etiam diffitissimas;  
ex quo æger & citius & convenientius auxilium experturus esset, quam  
ex quibusvis aliis remediis crassiori substantia donatis, quæ cum statim  
ac corpus subingressa erant exploderentur, nequaquam de potentia in  
actum à Ventriculo deduci potuerunt, neque vim in partes egenas dif-  
fundere.

Dissoluta ergo fuit drachma una salis illius volatilis Viperini in aquis  
theriacali & cardui benedicti, exhibitaque est circiter quarta pars istius  
misturæ; hanc ad aliquod temporis momentum cohibuit, postea portio-  
nem vomitu exclusit, plurimo phlegmati admodum viscidò remixtam;  
Postmodum ejusdem misturæ eadem quantitas exhibita fuit, ad exi-  
guum temporis intervallum conservatæ, demum rejecto id quod in  
ventriculo superstes esse potuit, sed semper multa pituita comite, Ejus-  
modi mistura nihilominus ex intervallis data fuit, etsi ventriculus neu-

tiquam contineret: Nonnulli etiam injecti Clysteres, sedandorum gratia dolorum & vehementium & pertinacium, circa umbilicum hærentium.

Labiorum tumor perpetuo ingens fuit, Pulsus pravus, sudoresque frigidii, uti & leipothymiae pertinaces fuere, at vero à diutino & obstinato salis volatilis Viperini usū vomitus tandem repressus, octavamque dozen continuit, exhibitam quatuor circiter à morsu inficto horis: Symptomata exinde remittere visa sunt, algor corporis sensim recessit, calori naturali locum cedens, qui quinque circiter horis à morsu omnino emicuit; Pulsus redivivus fit, æqualis & validus, sed aliquanto citatior.

Circa noctis horam decimam sævissima symptomata desiere: Fortunam prosperam in infortunio expertus est æger, quod citum & temporis auxilium præsto fuerit, Illius lateribus semper adstitti donec lethalia accidentia omnino disparuerint, Tunc in proprium hospitium delatus fuit; illius illuc usque comes fui, cubiculoque impositus fuit; atque ex consilio Medicorum, qui frequentes interfuerent quamdiu malum urgebat, concinnavi misturam ex drachma una confectionis Hyacinthinæ, tantundem Kermesinæ, uncia una syrapi è succo limonum & unciis quatuor aquæ cardui benedicti, in tres dozes divisam, exacto quoque trihorio exhibendas: Naribus olfacienda objiciebantur mala citria, ac ex intervallis taleolæ saccharo aspersæ ori indebantur: Jusculla ex carnis consummata adsumebat; usus pro Potu ptisana ex decocto radicis scorzonerae & rasuræ cornu cervini parata; cui parum syrapi è succo limonum remiscebatur; Tantillum etiam vini porrexerunt; addita confectione Kermesina, modo jusculis, modo potui præscripto.

Hoc vero animadversione dignum quod quamdiu sæva accidentia perdurarunt, nulla in dito animadversa immutatio, citra quamvis intumescientiam, quæ demum sedatis symptomatis adparuit; Interim dolores circa umbilicum pertinaces fuere, etsi aliquantis per mitiores: Eapropter Medici crebriorem usum Enematum præcepere: Tensio aliqua in abdomine adnotata, at citra tumorem; albescet lingua, nequamquam arida, Oculi concavi erant, non fulgidi, pallebat vultus, superstite labiorum tumore.

Digitæ intumescientia noctu in universam manum diffusa est, ideo non semel sed iterato inuncta fuit ex oleo Scorpionum Matthioli composito, commixto aquæ Reginæ Hungariae, nihilominus tamen tumor postriedie ad brachium usque diffusus est, eomite dolore & rubore, incrementum manifestum sumentibus: Ex Medicorum consilio admoti Fœtus ex decocto radicum Angelicæ, Imperatoriæ, Carlinæ & Aristolochiæ, additis summitatibus Scordii, Centaurii, Absynthii, Hyperici & Calamenthi in vino albo facto, pergendo iterum in usu inunctionum olei

Scorpionum

Scorpionum Matthioli, non dimisso prædicto Fotu.

Etsi hæc omnia accurata diligentia peragerentur, effectus tamen votis non respondebat, Æger cibum fastidiebat, imo contigit semel ut assumptum Jusculum vomitu excluserit, sed pertinax hic nequaquam fuit; Pergebat interea in usu eorumdem remediorum, internorum & externorum, sicuti & alimentorum; Sed etiam si quoad partes interiores perbelle se habere assereret, pulsus æqualitate donatus esset, à naturali nequaquam dissimilis, fitis nequaquam illum vexaret, nullus calor esset molestus, uti neque dolor manifestus in quapiam corporis parte, qui tamen umbilicum occupaverat obstinatus erat, tumore, dolore & rubore manus ac brachii incrementum perpetuo sumentibus, imo à tercia die humerum ejusdem lateris invaserunt, ad axillam vergentes, universam mammam partesque circumcisas, quinimo & ipsam Jecoris regionem, et si continuus esset usus fotuum & inunctionum ex oleo scorpionum Matthioli.

Omnibus his perpensis, ac præterea præsente anni tempestate calidissima, metus subortus est ne gangræna succederet; Ac judicatum quandoquidem remedia externa, ex arte præscripta, successu carent, ad interna configiendum esse: quamobrem ex Medicorum consilio, circa vesperam tertiae diei, exhibita est drachm. una radicis Contrayervæ in pulverem tritæ, in aquis cordialibus dilutæ, addita æquali dozi confectionis Kermesinæ: sed nullum decrementum observatum est neque ruboris, neque tumoris, neque doloris, quin potius intumescientia in latus sinistrum vergere videbatur.

Omnibus iterum ad examen accuratum deductis, necessarius omnino visus est usus prioris remedii interni, quod præsentissimum attulerat auxilium, videlicet Salis volatilis Viperini, Matutinum tempus erat quartæ diei à morsu: Exhibita ergo fuit semidrachma Salis volatilis Viperini, remixti uncis quatuor aquæ cardui benedicti, rite cooperto corpore ad sudoris provocationem: Remedium votis nostris respondit, non enim solum copiosissimo sudore perfusus fuit Æger, sed & opem manifestissimam percepit, sublevatus omnibus molestiis quæ ante urgabant: Circa Umbilicum dolor fere omnino remiserat, labiorum tumor, & qui regionem jecoris obsederat, infra mammam subsederant; humeri autem, brachii & manus, una cum dolore & rubore manifeste imminuebantur.

Ex his opinio nata est cætera non levi negotio dissipatum iri, capropter postridie mane ægro eadem dozis Salis volatilis Viperini porrecta fuit, cui sudor uberrimus etiam successit; Umbilici dolor exinde evanuit, humeri intumescientæ nulla adfuere vestigia, quæ in brachio toto &

manu superstes erat non obscure decrevit, una cum rubore & dolore.

Ne vero quidpiam mancum supereffet, etiam si æger insignem opem ex prædictorum usu percepisset, die sequenti tertia & qualisque dozis ejusdem Salis oblata fuit, quin & denique quarta postridie illius diei iterata est; adeo ut istius remedii beneficio omnis intumescentia cum rubore & dolore brachii, manus, ipsiusque digiti omnino disparuerit, cui solum exiguum Emplastrum admotum est, cicatricis inducendæ gratia incisionibus per scarificationem factis, quæ tertio aut quarto die successit, quare exitu è domo prohibitus non fuit æger, qui ad solita officia rediit, quasi nunquam à Vipera iactus fuisset.

Quibus historia hæc offeretur, si cunctas circumstantias probe perpendent, varia & inopinato ingruentia symptomata à morsu Viperæ subsequita, efficacemque remediorum vim ad ea debellanda usurpatrum, ii proculdubio amplam segetem naturi sunt ingenium exercendi, iidemque judicium laturi sunt non abs re me accurato studio indagasse cunctas & singulas Viperæ partes, quo illarum notitiam consequi possem, atque effectum inde oriundorum: experimentorum insignem numerum in singulis partibus suscipisse quavis data occasione; ac postmodum studium adhibuisse in præparatione remediorum admirandorum ex hoc animali cruentorum.

Effectus plane stupendus fuit Salis Viperini volatilis, quod cohibuit, superavit, expugnavit veneni tyrrannidem adeo sævam in calorem nativum, cunctasque partes præcipuas, proculdubio alias opprimendum, extinguendum à veneni prædominio; Miranda est ejusdem Salis efficacia, vis penetrabilis & energia, quod illi veneno obviam ivit, idem ex partibus corporis dissitissimis expulit in quibus sedem fixerat, fere inexpugnabile, illudens quippe remediis generosissimis: Hæc inquam, cuncta nos in admirationem pertrahere possunt; nemo enim, ut censeo, mala à Vipera metuenda, quæ unicuique facillime declinare licet, non concessurus est multo inferiora esse remedio ex eadem Vipera desumendo, non modo utili curationi morsus ab ipsa inflicti, sed etiam sexcentorum affectuum obstinatorum & ad quævis remedia rebellium, Ut jam missas faciam plurimas elegantes præparations ex Vipera cruentas, tradendas sub finem experimentorum nostrorum.

*EXPERIMENTA MORSVS VIPERAЕ,  
in diversis animalibus tentata.*

## CAPUT II.

*Experimenta in Canibus facta.*

**E**FFECTUS non vulgares animos hominū varie percellere solent; curiosi ad causā illorum pervestigationem incitantur; etiam si vero nunquam non illa præcedat, notitiam nihilominus subterfugeret, imo & existentia illius dubia foret, nisi effectus prius se prodidissent.

Cum ergo tractandam suscepserim naturam veneni à Vipera morsu inficti, spe fruor nemini improbatum iri si initium experimentorum meorum duxerim allatis exemplis illius effectuum: Ne vero tedium Lectori pariam, allatis cunctis experimentis quæ in meis ædibus suscep-ta sunt, anno postremo aut præsenti, illa solum exempla coegi quæ communicatione maxime digna visa sunt, institutoque nostro promo-vendo maxime contulerunt, ac curiosorum animos maxime explere valent.

Maxime notatu dignum experimentum tentatum in Cane, cuius labium inferius morsu à Vipera ictum fuit, ira percita: Canis illico com-motionem insignem præ se non tulit, sed paulatim moestus adparuit cum maxillæ intumescentia: paulo post vomitus ingruit postremi alimenti adsumpti, ac aliquot excrements alvina dejecit: Oblatus deinceps pa-nis, caro, & aqua potanda, quæ intacta reliquit, decumbebat citra ge-mitus, locus morsu impetus lividus factus est, livore etiam infra collum se propagante, pectorisque regionem, sicuti & intumescentia; Obiit tandem, sed quadraginta demum ab inficto morsu horis; Abdomen ne-quaque intumuit, nec in toto corporis habitus præter intumescentiam & livorem partis demersæ, circumscriptorumque locorum, quidpiam singulare observare nobis licuit.

Canis ab obitu dissecatus fuit, In truncō venæ cavæ nonnihil sanguinis coagulati deprehensum est, observatumque reliquum sanguinem circumstantem, in corde & ubique, colorem obscurum contraxisse, admodum improbae consistentiæ, utpote cuius fibræ dissolutæ erant & corruptæ: In ventriculo oblatus oculis color ad fuscum vergens, at idem manifestior in mesenterio & intestinis: Nec in corde, nec Jecore, pulmonibus aut liene immutatio quæpiam se obtulit, partes e-

EXPERIMENTVM A LIVD IN CANE,  
*demorso à Vipera in Aure.*

**V**ulavit canis statim ac morsum persensit, imo ululare non desit per semihoræ spatum, ululatus & gemitus postmodum desiere: Locus morsu impetus livorem contraxit, & intumuit: Vomitus nullus adfuit, sed fæces aliquas naturales dejicit: Canis mors citius obrepst, successit enim hora vicesima quarta à morsu.

In toto corporis ambitu nihil singulare se obtulit visui, præter livorem & intumescentiam partis afflictae ac vicinatum; Dissecto vero cadavere eadem omnia quæ in priore cane à nobis observata; In hoc nullus quidem sanguis concretus animadversus, neque in corde, neque in vena cava, nec aliis in locis, sed obscurum ille induerat colorem, vitiæ omnino consistentiæ, ad coagulationem vergens.

*Aliud Demorsi Canis exemplum.*

**A**dmodum est Vipera excandescens rostro extremo Canis; ululavit his morsu impetus, sed cito quietior factus est, locum demorsum vellambens, vel pede admoto confricans per vices, nequaquam decubuit, dictis occupationibus intentus, ultiroque citroque cubiculum perambulans: Locus affectus livore quodam infectus fuit, sed non intumuit; ex quo elapsi tempore cibum & potum adsumpsit non secus ac si demorsus non fuisset, Livor paulatim recessit, neque quicquam præterea incommodi persensit canis.

*Exemplum Catuli à Vipera ieci, & occisi.*

**C**atulus septem vel octo dies natus, iecitus fuit in tibia à Vipera lacefitas, Illico à morsu in ululatus erupit, nec desit ululare quam mortuus, hora circiter una à morsu obiit.

Pars demorsa livida erat & tumida, sicut in cæteris; dissectus vero nihil singulare intra corpus exhibuit præter livorem quendam in ventriculo & intestinis, & obscurum colorem sanguinis, in substantia depravati, uti in prædictis, cunctæ enim partes internæ illæsæ adparuerent.

*Aliud Canis morsu impetiti exemplum.*

**O**btulimus & Viperæ excandescens dentibus alium Canem, qui imo ventre lœsus fuit; illico is in ululatus erupit, sed protinus desinentes.

Locus affectus admodum intumuit & lividus factus est; intumescencia & livore protinus circa cunctas partes naturales diffusis; Objecto potu saepius fruebatur, sed alimentum respuebat; diuque in hoc statu vixit, nequaquam deteriore deinceps facto.

Biduo post, quo de re certius nobis constaret, duobus in locis dentes infigi curavimus juxta priorem locum commorsum: Ululavit iterum & diu, tumore augmentum capiente, fere per universum abdomen propagato, sicuti & livore, sed deteriorem successum res non habuit, quâdoquidem licebat cani saepius linguae ope vulnus abstergere; interim aquam alabebat, ac tandem cibum admittebat, adeo ut citra aliud quam Linguae subsidium omnis tumor & livor quintiduo aut sextiduo exacto nulla sui vestigia reliquerint: Cane ad pristinum statum, cundemque quem ante morsus obtinuerat redeunte.

*Exemplum Canis cui Lingua demorsa.*

**M**ultum nobis negotium exhibuit hic canis, diutissime enim collutatus est antequam Linguam extruderet, profundo tamen morsu impetus fuit à Vipera ira percita; Illico is in ululatus maximos erupit, dissitas aures ferientes; in quibus perrexit, corpus mire commoven- do & contorquendo per semihoræ spatium, quo elapo interiit.

Protinus illum dissecuimus; etiamsi vero cor, jecur & pulmones cum liene nihil præter naturale ostenderent, lingua tamen ingenti livore affecta erat, universum mesenterium maculis nigris conspersum, quarum plurimæ magnitudine lentem excedeant, sub quibus sanguis conculatus delitecebat; Ventriculus & intestina colore quam in cæteris canibus obscuriora erant; Sanguis nigerrimus erat, concretionis initium intra cor induens, & cavam venam; quoad cætera aderant notæ consi- stenti & sanguinis depravati & dissoluti.

A postremo hoc experimento non parva nobis accessit utilitas, aper- te quippe nobis indicatum, & quasi digito, effectus veneni à Vipera indueti: Et conspicuum nobis factum id partibus principibus præseptim non infidiari, quandoquidem in illis nulla unquam deprehensa immu- tatio vel alteratio, sed præcipue innotuit id sanguinem impetrere, quip-

pe cuius & substantiam corruptit; concretionem illi inducens, vel partes ab invicem disgregans circulationem liberam interturbat, ac eodem tempore spirituum per universum corpus diffusionem inhibet; quos partibus nobilibus subtrahit, quapropter puro sanguine destituntur, illas antea irrigare solito, unde indirecte & per accidens labem patiuntur, à privatione scilicet spirituum & probi succi quo sustentantur & vivunt.

A nobis præterea observatum veneni à Viperæ morsu impressi effectum pendere potissimum à natura loci morsu afflitti, ac magnitudine venarum aut arteriarum quas dens attigit; Canis enim lingua cum referta sit venis & arteriis, nequaquam admirandum si ad illarum occursum, inibique viam patulam & brevem noctum venenum, ad victoriā de animali commorso reportandam, citissime effectus apparuerint, morsque citius quā in aliis successerit, in quibus exilia vasa & flexuosa affecta fuere, adeoque via angustior ac minus compendiosa, proindeque longior; etiamsi tandem successerit mors, quæ maturius accidisset occurrente via liberiore.

Judicium quoque ferre licet ex effectibus veneni morsu à Vipera canibus prædictis inflitti, postremo præsertim, vomitum, vehementesque dolores in regione umbilici obortos Nobili, cuius historiam attulimus, ortum duxisse partim à sanguine coagulato, vel ad concretionem vergente, ideoque non ut decet circulari motu traducto, Partim quod spiritus, sanguinis in hujus circulatione comites, in via impedimenta obvia habentia, illam vi sibi parare conabantur; ideoque cum vis inferetur partibus lateralibus in itinere faciendo, atroces dolores iis in locis obortos esse, ægro adeo molestos; quorum vehementiam etiam intendere valuit sanguis, proculdubio extra vasa majora coagulatus; forte hinc inde conspersus macularum specie in mesenterio, vel aliis locis, non secus ac in canis cadavere obvius fuit.

Judicium quoque ferre licet sudores frigidos, spasmos, & crebras leiopyschias ægro contingentes, non aliunde ortum duxisse quam ab intercepto commeatu solito spirituum in partes principes, ac inopia probi purique sanguinis illas irrigare soliti.

Successum remediorum Nobili prædicto præscriptorum, & usurpatorum quod attinet, quæ nostra hac de re sit sententia in serie experimentorum dicturis sumus, præmissis prius validis demonstrationibus quibus illam fulciamus.

Canes autem quod spectat, qui vulnus lambendo curationem adepti sunt, optimum, meo judicio, & efficax id fuit præsidium ad exterius evocandum venenum, idque à progressu ulteriori ad interiora prohibendum;

dum; Illorumque opinionem plane amplector, qui censent si is qui morsu fuit impetus, aut si quis intima amicitia illi conjunctus ore ad moto valide & diutissime partem suxisset, sanationem adipisci licuisse, dummodo à dentibus Vipérinis insigne quodpiam vas impetum non fuisset, qua de causa veneni progressus ad interiora suctu potior fuisset.

Id quoque apud me ratum spiritus illos suctione prolectos & evocatos, sugenti innoxios fore, tum quod infracta illorum fuerit vis à prægressa actione, tum quod defint tune idonea organa per quæ peragi possit actio, ac vis illorum deferri, Dentes scilicet Viperini.

### *EXPERIMENTA MORSVS VIPERARIVM. in Columbis & Gallinis facta.*

**E**xperimenta in hujusmodi animalibus tentata non parum etiam nobis emolumenti peperere ad rite dignoscendum effectus morsus Viperini, qui utrobique fere similes conspicui fuere.

Viperæ laceſſitæ objecimus columbum & pullum gallinaceum, utrumque ex ordine, sed uno fere eodemque tempore, partem maxime carneam exponentes, pectoris scilicet infimam partem; In utroque animali illico deprehensa insignis cordis palpitatio, eaque creberrima, incrementum perpetuo sumens, adeo ut & pullus gallinaceus & columbus intra semi horæ spatium interierint.

Ilico novacula illis admota est, ac in utroque non nihil in corde & vena cava sanguinis concreti deprehendimus, reliquum vero sanguinem nigrescentem, ad coagulationem tendentem, dissolutum quasi & corruptum: Cor autem & Jecur, cunctæque partes internæ & externæ naturalem exhibebant colorem, riteque erant constitutæ, si exiguum livorem excipias, demorsum locum ambientem.

Idem nobis observare non semel licuit in plurimis gallinis & columbis; at vero intempestivum non fuerit enarrasse diversum successum in duobus columbis observatum, simili morsu & eodem loco impetitis à Vipera irritata.

Priori Theriacæ drachmæ dimidix circiter pondus deglutiendum dederamus, illico ante quam Viperæ obtruderetur, Posteriori autem columbo nihil à nobis oblatum: Prior ultiro citroque per cubulum discurrebat tanquam omnino illæsus, posterior autem breviori quam semiquadrantis horæ spatio interiit.

Priorem iterum Viperæ objecimus, cuius crus morsu ictum fuit; exinde paulatim in valetudinis notas exhibuit, ac tandem semihora post in-

terit; Locus primo morsu impetus à nobis observatus multo magis lividus quam in columbo, qui intra horæ quadrantem obiit, imo plusquam in illo femoris loco qui postremo demorsus fuerat.

Ideoque pronuntiavimus spiritus excandescentes, cum interiora corporis penetrare nō valuerint, quod à Theriaca defensa fuissent, in exteriora solum vim suam exseruisse ac circa locum morsu impetum, ubi loci coagulatus fuerat sanguis, unde exortus lividus color: At vero spiritus, ejusdem indolis, cum in altera Columba nihil obviam habuerint quod obstruerit, effectum esse ut penetralia corporis adire valuerint, prætermisso & quasi neglectim habitu loco per quem introitum nacti erant.

Neque nobis mirum fuit quod Theriaca, quæ valide obtundere valuit spiritus per priorem morsum intromisso, posterioribus per semihoræ tantum spatiū par esse potuerit, ac tandem manus vietas dare coacta fuerit, hostiles quippe vires insignes erant; à priore autem conflitu infracta, posteriorum invadentium spirituum impetum sustinere non valuit.

Viperarum etiam dentes oblongi, non semel, iisque profunde adacti fuere canibus, columbis, & gallinis, quidam ex mortuarum ore educti, alij ex viventibus; Nonnemo etiam eorum qui coetui intererant caput Viperæ mortuum manibus versans, proprium digitum admoto majori dente, pungere voluit, id quod & præstigit, erumpente postmodum sanguine: Libuit quoque mihi unum manui meæ adigere, idque tam alte ut fragmentum dentis inhæserit, ac ultra semihoræ spatiū illi impactum fuerit; Sed nullibi ulla veneni indicia vel vestigia, aut mali, præter id quod inductum fuisset ab aciculae punctura vel rei ejusmodi adfuere.

Columbæ etiam partem carne maxime refertam plumis nudavimus, utraque autem manu deductis Viperæ maxillis, majores dentes illius eriendo, utramque maxillam simul compressimus intermedia carnæ illa parte, adeo ut dentes profunde alte illam pervaderent, ac succus flavus gingivarum subire posset vulnera à dentibus inflicta; A nobis eodem tempore deprehensum sanguinem è vulneribus prodire, ac succo flavo illic infuso sese commiscere.

Comparaveramus tum temporis exiguum *lapidem colubrinum*, coloris opaci & prope nigri, exterius lucidi, formæ rotundæ & depresso-magnitudine adæquantem monetam quinque assibus æstimatam, sed tribus partibus crassiorem; quem morsui illico adplicuimus, sanguine & succo flavo simul commissis fœdato; Adhæsit vulneri lapis, neque in columba quicquam immutatum adnotavimus; unde ratum forte habuimus

buissemus id lapidis efficaciae esse adscribendum, quem nunquam non morsum Viperæ & quorumvis serpentum expugnare afferunt, nisi aliquot retro diebus similis lapidis periculum fecissemus in columba, eodem in loco commorsa, quæ tamen quadrante post horæ interiit.

Ideoque judicium tulimus rem novo experimento esset confirmandam; cum vero in nostra potestate prior ille lapis, qui columbo salutifer esse visus est; Item alter similis, quem Dominus Hispaniæ Legatus Medico suo concediderat, curavimus à Vipera lacepsita duos columbos æqualiter adultos & pingues morsu impeti, unumquemque in loco deplumi; Sanguis ex unoquoque morsu manavit, sed succus flavus vix fuit conspicuus: Eodem tempore uterque lapis utriusque columbo admotus; illoco vero morsui adhæsere, sed insimul, eodem momento in utroque columbo insignis cordis palpitatio deprehensa, eaque cereberrima, quam consequuta est utriusque columbi mors, eodem tempore contingens atque intra quadrantis horæ spatium.

Disquisimus etiam utrum venenum, quod in sanguinem tam efficaciv agit, malitiam aut pernitiem suam imprimere valeret partibus solidis, aut nobilibus animalium morsu affectionum; quæ statum naturalem omnino integrum nobis exhibebant; Columbum à morsu enectum obtulimus feli macilentæ, quem suaviter ingessit, ac postmodum alios devoravit, necnon & gallinas, à quorum esu pinguefacta est, nedum graviter aut lethaliter affecta.

Illud quoque exploratum habere voluimus num una eademque Vipera, uno eodemque tempore varia ex ordine animalia oblata morsu necare valeret, ac num venenum posset exhaustiri, adeo ut animalia postremo ista immunitatem obtainere possent.

Eapropter quinque ex serie columbos uni eidemque Viperæ demordendos obtrusimus, à nobis incitatæ in iram toties quoties unus offerretur Columbus; Omnes hi brevi tempore enecti sunt, imo id à nobis observatum postremo istum primum interiisse.

Sanguinem quod attinet, ac cunctas partes tum internas & externas, idem prope status fuit qui prioris columbi morsu enecti.

Varia experimenta à nobis modo enarrata sensim nos compellunt, ut quæ sit mens nostra de veneno Viperino, ejusque ἐνέργεια enuntiemus: Ac tempestivum hoc ipso loco rem tradendam esse censemus, cetera, ea que potissima experimenta allaturi, in confirmationem eorum quæ proposuimus.

*DE VENENI A VIPERA MORSV INFICITI  
indole, Ejusque efficacia.*

CAPUT IV.

**A**ntiqui quorum mentem occupaverat opinio nullam non Viperæ partem Veneni esse participem, illarum examen oscitanter suscepereunt: Cum vero illis perspectum esset Viperæ iracundiam non parum conferre veneni augmento, ratis in felle iram illius sedem habere, illic quoque venenum domicilium suum naectum esse censuere; ac animo finxerunt saporem fellis, summe acrem & amarum, illius perniciem innuere; Venas autem & arterias, juxta vesiculam felleam sitas, quarum ductum ad oris interiora persequi facile est, nequaquam illis dissimiles quæ reliquum corpus perreptant, infra & supra fel, canales esse, vel tubulos aut ductus, à Natura data opera effictos, per quos succus felleus in gingivas deferretur; Ab hoc autem succo deducenda esse cuncta lethalia symptomata, imo & ipsam mortem.

At vero iisdem perspectum esse debuisse hanc Viperæ excandescientiam in felle nequaquam latere; Fel sexcentorum aliorum animalium sapore ad Viperinum admodum accedere, veneni tamen plane expers esse: Venas & arterias, fellis regionem peragranates; inde originem ducere visas: atque ad gingivas propagatas, quin & singulas corporis partes, vasa esse alij usui quam convehendo sanguini destinata, ortum à felle non deduentia; neque succum, quem neutquam admisere convehere posse: Fellis saporem nullatenus obvium esse gustui in omnibus fictitiis illis vasis, uti neque in flavo gingivarum succo, aut toto reliquo corpore, supra fellis locum, Ac demum rite explorata fellis vesicula unicum vas utcunque consideratione dignum occurtere, idque admodum exile; quod exortum, sicuti præmonuimus, ex latere interno partis superioris cystidis felleæ infra vergit, nedum ad supera viam affectat, in primum intestinum se exonerans, cuius rei descriptionem superius attulimus, Tabula etiam figuram exhibente.

Prætermisis vero ejusmodi principiis adeo infirmis, ac perperam stabilitis, cum experimentorum non exiguis numerus nobis suppeditetur, quibus innitimus, asserimus Fel Viperinum veneni omnino expers esse, quin potius in illo delitescere vim balsamicam, expurgativam, pluribusque usibus idoneam: Nullum vas reperi quod ad vesiculos succum proprium deferat, majores dentes ambientes Succum flavum inibi conten-

tum, quoad omnia à succo felleo discripare, hoc uno similes sūt quod veneno omnino destituantur, Succum hunc flavum congeri & generationem obtinere in glandulis salivaribus, à nobis superius descriptis, Hunc in Dentium vesiculis per vasa lymphatica deferri, ex prædictis glandulis oriunda; Succum illum puram & meram esse salivam, cuius usus jam superius à nobis traditus: Succum porro hunc nihil quicquam conferre veneno à morsu inficto, quandoquidem ori inditus, & deglutitus, sicuti non semel periculum fecimus, neque homini neque cæteris animantibus quicquam detrimenti adfert; quinimo & hiantibus ulceribus impotitus, ac incisuris cuti inflictis, illum adfricando, ac sanguini commiscendo, omnino impune id peragitur.

Etiam si vero aliter sentiat summi ubique judicij Vir, præfertim in iis quæ Viperam spectant, adstruens se experimentorum munitum esse multitudine, nostris è diametro adversantium; Cum prædictus Vir, unde quaque, nec immerito celeberrimus, cuius eruditio & fides nemini suspecta est, ideo rem ad accuratius & pensiculatius examen deducere animus fuit, ac reiteratis experimentis ulterius adhuc confirmare, in quibus nulla unquam discrepantia aut dissimilitudo animadversa, pro quorum veritate stamus, evidentissima & à nemine concutienda argumenta allaturi.

Ulterius porro adstruimus nullum omnino venenum in quavis corporis Viperini parte delitescere, imo nec in ipsis majoribus dentibus; nisi Vipera vivens fuerit, & nisi morsum comitentur spiritus excandescentes; qua excandescientia absente morsus nequaquam lethalis est, qui neutiquam perpendendus & aestimandus quam ex vulneris profunditate & angustia, cuiusmodi à dente infligi solet & acutissimo & oblongo, & tenuissimo, vix in ullo alio similiter deprehendendo.

Quoad prædictas circumstantias insignis experimentorum numerus à nobis suscepimus, eruditos nos præstitit, quandoquidem à nobis observatum discrimen admodum insigne inter mortuum Viperæ laceffitæ, & inter mortuum Viperæ cuius dentes compressis maxillis per vim adigebantur, imprimendo majores dentes corpori cuiuspiam animalis, quandoquidem à coacta hac & invita actione potius coercentur illius spiritus quam ut impellantur, cui rei ut liberum sit animal, non invitum, requiritur; spiritus porro illi depromi nequeunt & extra ferri quin phantasia & ira Vipera prius immediate præcesserint atque eos impulerint; Ejusmodi enim mordendi ratio, quæ fit per constrictionem maxillarum, ac impressionem dentium, vel immersionem in aliquod animal, etiam si maiorem copiam succi flavi in partem demorsam exprimat quam cum ipsa Vipera sui juris & laceffita mordet, nullum tamen consecutarium ha-

bet verendum symptoma, non secus ac vulnus simplex curationem obtinens; cum aliud mors consequatur, nisi mediis convenientibus hæc occuperetur.

Veneni ergo effectus quod omnino spirituum indolem resipiat, actionemque suam exserat solummodo prout spiritus plus aut minus irritantur aut compellantur, ac prout viæ magis aut minus liberæ occurunt, non immerito illum spiritibus excandescentibus adscribimus, quandoquidem illius nullum vestigium neque reale neque imaginatione fictum in partibus sensibus obviis adest manifestum: Ut vero sententia nostra hac de re ampliorem confirmationem obtineat, hic mentem nostram apertam volumus quoad actionem horum spirituum irritatorum.

Spiritus hi ab ira quam concepit Vipera incitati nauci vias aut foramina à dentibus inficta innato motu feruntur; cum porro illis infistum sit semper ulterius progreedi, ac pervadere, viam vi semper sibi faciunt, progressu majori aut minori pro facilitate aut difficultate obviis; quo sit ut mortuum multo majus consequatur periculum si dentes insignia vasorum attigerint, quam si in solam carnem impègerint, aut venas vel arterias capillares.

Hinc fit ut Spiritus Viperæ irritati, occurrentes sanguini & spiritibus, intra vasorum animalis mortuorum impetiti contentis, hos compellant vimque faciant viam adepturi; ac confusione inducta particulis ex quibus sanguis constituitur, concretionem huic inducant, aut perturbationem à qua circulatio solito præpeditur motu, quapropter spirituum in partes principes communicatio, à quibus harum subsistentia & vita dependet, coërcetur: Quam spirituum inopiam & interceptionem casus illarum & ruina subsequitur; aut quia in arce propria, vel loco maxime spiritibus instructo à dictis spiritibus impugnatæ fuerunt, & ab iisdem inquinatae; vel potius, quia hi spiritus Viperini vias occupavere, & interclusere, per quas sanguini & spiritibus commeatus liber esse debet.

Inferimus ergo Viperæ phantasiam, irritatam ab idea vindictæ quam sibi fixit, motum quendam inexplicabilem spiritibus conciliare, atque vi impellere per nervos eorumque fibras, versus dentium cavernas quasi infundibulum, exinde in sanguinem animalis demorsi deferriri mediante foramine ab iis inficto, unde emergunt cuncti effectus, quorum rationem & causas disquirimus.

Cæterum, sententia fuit quorundam in provocatis his spiritibus latere arcanam quandam aciditatem à qua coagulatio inducatur sanguini, illiusque circularis inhibetur motus, unde subsequantur lethalia symptomata.

At cum Acidum illud in ipsa massa sanguinea generationem obtine-  
re potue-

re potuerit ab ipsiusmet partibus quæ disgregationem & dissolutionem passæ sunt , cum à veneno infectæ fuere, & corruptio ipsas invasit ( sicuti id in lacte contingit , quod sponte aceſcit & corrumpitur etiam nullo acido illi remixto ) Eapropter necesse non est acidum coagulatoria vi præditum disquirere , in spiritibus Viperinis , qui gustui exploratori & judici occurrere non possunt : vel ea potissimum ratione quod acidum istud insitum potuit habere in animali demorſo generationem , adeo ut fruſtra ſit illius natales in Vipera statuere , quaſi exinde manaret.

Utut vero ſit , id ultro concedendum eſt irritationem hanc intra phantasiā aut spiritus Viperinos conceptam, maximam & potissimam eſſe cauſam efficaciat & penetrabilis viſ veneni Viperini ; qua abſente effeſtus adeo ſtupendi , cujusmodi varia à nobis allata ſunt exempla , nequaquam orientur.

Neque etiam Vipera inter animalia ſola morsu lethifera eſt , quæ in rabiem aliquando tranſeunt ſi in iram concitata fuerint ; Fidem faciunt canes , lupi , quinimo & homines ipſi : Ne vero extra oleas divagemur , morsus ſerpentum , quorum ſpecies eſt Vipera , majus aut minus periculum invehit pro varia ſpirituum indole , ac potiſſimum vechementia excandefcentiæ in iram .

Videtur Cleopatra olim hujus rei probe gnara fuiffle , cum necem ſibi intetatura , duos Aspides ſibi adSPORTARI acuravit , quasillo cum fructibus quibusdam conſluſos ; illos acu aurea , ex capillito deſrompta , compungens , illico brachium dextrum objiciens uni Aspidi ; finiſtam autem mammam alteri ; non inſcia , ( ſicuti tradit auctor non incelebris ) ſuperbiā & feritatem innatam illorum animalium ſatis non eſſe quo illa fine potiretur , ſed præterea neceſſariam eſſe illam puncturam ad ſpiritus irritandos , ideoque ſubſequeretur lethalis morsus .

Eadem proculdubio eſt morsus Aspidum & Viperæ ratio , cui & id inſitum eſt ut non modo facillime in iram excandefcat , ſed & ipſo irritationis momento celeritate inſigni morsu impetat , unde ſumma ſubtilitas & impetus illorum ſpirituum arguitur , originem præbens efficaciat & viribus veneni .

Observare etiam licet in diſtillatione corporum Viperarum , corpora ex illis admodum ſubtilia , ſumma penetrandi vi donata elici , majori proculdubio copia , ( ſervata magnitudinis propotione ,) quam ex quovis alio animali .

Nihilominus tamen neque impedimentum à ſpiritibus venenis irritationis occurrēns , & diſfusum in ſpiritus animalis morsu impetiti ; neque coagulatio aut confuſio à veneno ſanguini inducta , tam inſignis efficaciat ſunt quin remedii ſpecificis inſuperabilia ſint , aut animal pristinæ va-

Istudini restitui valeat, sed occumbere necesse habeat, Id quod in serie variis adductis exemplis comprobatur sumus, ac demonstratur quo pacto remedia præpotente spirituum illorum vi superiora fiant.

*EXPERIMENTA DE SVCCO FLAVO, IN  
Vesiculis majorum dentium contento, In variis  
animalibus suscepta.*

C A P U T V.

**A** Scopo proposito nequaquam devij, cuncta ad amissim explorandi, in experimentis perrexiimus: ut vero succi illius Flavi indoles & qualitas probe nobis innotesceret, quæ pernitiosum esse omnes statuunt, sex Viperis irritatis, seorsum, iteratisque vicibus, unicuique objecta est panis taleola, quo usque hæc probe & omnino connutrita, cunctum succum flavum in gingivis sex dictarum Viperarum contentum exhaufisset, cani jejuno & famelico eodem tempore devorandam exhibuimus panis buccellam, qui inde non majus percepit detrimentum quam si panem aridum devorasset, ejusmodi succo nequaquam imbutum.

Non semel etiam pullis gallinaceis & columbis obtrusimus panis frustula eodem succo madida, asserimus vero nullum è dictis animalibus male ideo habuisse.

Nec absuit in me temeritas prædictum sucum ori ingerendi, id quod, iteratisque vicibus, pluribus testibus, à me factum, fauibus neque ante neque post adsumptionem collutis: Nonnulli etiam Medici eundem degustare non abnuerunt, tum saporis deprehendendi gratia, tum ut de illius innocentia nobis constaret; id vero compertum esse volo neque mihi neque illis quidquam noxæ accidisse.

Quia vero nonnulli censierunt succum illum, eo modo degustatum, ac ingestum ab hominibus aut animalibus, quovis vulnere aut ulcere in ore carentibus, aut ventriculo, revera quidem impune adsumi, rem vero omnino aliter se habere si comes adesset morsus, ac subiret foramina à dentibus inficta; quinimo prædictum succum ulceri inditum, vulneri, aut superficiariæ etiam exulcerationi, si vel tantillum commisceretur sanguinis, tunc lethiferam vim exsicerere, ac proculdubio effectum tribus aut quatuor horis postquam vulneri affixus est edere, non minus in homine quam quibusvis aliis animalibus, ne uno quidem excepto, capropter plurimis experimentis incumbere necesse credidimus.

Ac primo id adstruo, priorem me periculum subiisse, quo tempore aphthæ quædam proprium os infestabant, qua de causa salivam crux infectam animadvertis, nulla tamen observata à me acrimonia vel calor insolitus.

Experimentum quoque factum in Columbo, cui infra aliam vulnus infliximus, & in femore uno eodemque tempore: Utrique dictorum vulnerum succum flavum immisimus, eductum è gingivis duarum Vipera-rum efferatarum; deinceps columbis cutem utrinque adduximus, ne quid succi elabi posset, ac totus coerceretur fasciis, vulnera colligando: Hoc vero tanquam certissimum damus Columbum plane incolorem evasisse, imo à nobis in exteriori vulnera femori inficto, succi coagulati guttam conspexisse, formæ rotundæ, qui eundem colorem servaverat ac cum fuit inditus, in ambitu vero sanguinem vulneris exsiccatum, nec diu post utrumque vulnus ac sponte fuuisse adglutinatum.

Eiusdem quoque succi experimentum à nobis tentatum in Fele, à nobis data opera in femore vulneratum, nullum vero hinc detrimentum sequutum est: Nec aliis eventus adfuit, isque reiteratus in gallis gallinaceis aliisque columbis, sed eodem semper successu, nulloque danno.

Idem experimentum ter diversis temporibus suscepimus in Cane, ea propter ad aurem in profundo læso, quo nequaquam illius lingua pertingere poterat, nihil vero sinistri evenit.

Sed & hoc inferre licet experimentum, quam lethalis sit effectus spirituum excandescientium, in mali consortium nequaquam advocate succo flavo: Iteratis vicibus ori unius ejusdem Viperæ intrusimus panis tenuis segmentum, maxillis tamen supra id compressis, id quod tam repetitis vicibus à nobis peractum, ut non modo succus omnino exhaustus sit, sed etiam ipse sanguis è gingivis manare inciperet; Eodem tempore Viperam in iram concitavimus columbique partem maxime carnem mordendam objecimus: A nobis equidem observatum effectus veneni morsu inflisti non eadem celeritate pervasisse, quandoquidem columbus sesquihora tantum à morsu interiit, sed præterea se nobis obtulere dentes Viperini mica panis obducti præ mortuis frequentia, qua propter Vipera alte satis venenum inferre non valuit, ideoque, semi-obstructis dentium poris, maximam spirituum lacessitorum partem comheatum invenire non potuisse, adeo ut columbi obitus tam celeri pede non obvenerit, nihilominus tamen hunc intervenisse absente succo flavo, omnino ante exhausto.

*EXPERIMENTA CIRCA FEL, OVA,  
Intestina, Capita & Sanguinem Viperæ suscepta, in  
diversis animalibus.*

C A P U T V I .

**N**O N semel pluribus Canibus Felibus Viperarum Fel oggesimus, modo cysti illæsa , modo diffissa , alicui liquori commixtum , modo numero senario , modo denario , modo duodenario unica vice, quæ animalia impune semper evasere , uti & Pulli Gallinacei & Columbi qui id ingesserant , imo & à nobis vulnerati , sed id Fel balsami vicem obtinuit , vulnera quippe citius ad consolidationem deduci visa sunt : Adeo ut jure merito Fel plane veneno carere pronuntiare ausim, sicuti & Succum Flavum , de quo superius à nobis scriptum , quem hic prætermittimus, ne actum agamus : Astruentes Felli inesse facultates plane singulares.

Idem pronuntiare audemus de Utero & Ovis Viperinis ac universis Intestinis , quorum copiam non semel objecimus devorandam canibus & felibus, imo nonnulli furtim illa arripuerunt & ingesserunt, sed nullum unquam inde discrimen subierunt ; Quin expertum habemus, cum aliquando Felē admodum macilentum objecisse Viperæ in iram admodum concitatæ , qui mox ingesserat ova , uterum , ac cuncta Viperæ intestina,morsum ( ictus autem fuerat in auris parte densissima ) fere fuisse irritum ; solumque exiguum tumorem conspicuum,cum modico livore partis quæ morsu impetita erat.

Canibus etiam ac Columbis, non semel sed sèpius , capita Viperarum devoranda curavimus, mox dissecta & adhuc viventia , forficibus tantum demptis acuminibus majorum dentium , ne in transitu per gualm hæc læsionem pateretur , aut parres interiores animalium quibus intrudebantur , sed in ejusmodi animalibus nihil singulare à nobis observatum fuit.

Confirmationem præterea disquisivimus num Vipera devorata ab animali, quod morsu ab illa ante impetum fuisset , medelam inde aciperet ; leviter torrefieri jussimus caput Viperæ , cui adnexa erat collis porio,transversi digiti latitudine; , recens à corpore resectum , ac canem morsui Viperæ excandescentis objecimus, ter ab illa in aure ictum, adeo ut sanguis è tribus locis morsu læsis manaret , illico vero illi obtrusimus caput & collum , nidorem emittentia & calentia : Canis famelicus

melicus, qui necdum trium morsuum effectum experiri poterat, caput protinus arripuit, dentibus id contrivit ac deglutiit; postmodum diutius præstolati sumus, dubii num triplex morsus prævaleret capiti & collo deglutitis: præter aliquem livorem, modicunque tumorem circa loca demorsa exortum, intra triduum aut quatriiduum sensim evanescentes, nihil aliud contigit.

Tripli quoque morsu affligi canem curavimus eodem loco: caput ejusdem Viperæ quæ illum momorderat absctum, nequaquam tostum, porrexiimus devorandum, quod canis abnuit neque attigit, etiamsi ab aliquot retro horis nihil alimenti adsumpsisset; Idem caput postmodum in mortario probe conteri curavimus, ac per vim in fauces canis intrudi, eodem tempore loca demorsa sanguine ejusdem Viperæ madida confricantes; successum expectavimus, qui non alias fuit quam quod caput dictum coctum & contritum, coadiuvante, si ita visum fuerit, sanguine Viperino, demorsis locis admoto, eosdem effectus ac præcedens prodidit, prius leviter tostum, quandoquidem non gravior pœna canem adflicxit hunc quam priorem; quippe qui postea æque vegetus & hilaris ac ante fuit.

Si ambo haec experimenta contigissent priusquam Nobilis extraneus ictus à Vipera fuisset, de illius Salute multo minus anxij fuissimus: Satis tamen fuisse arbitror quod declinare illi licuerit pernitosos morsus Viperini effectus, à quæstis mediis ex arte & methodo, ac remediis eorum palato arridentibus qui à carne Viperina sincera & citra adparatum forte abhorrent.

### PLVRIMA ALIA EXPERIMENTA CVRIOSA de Vipera facta.

#### C A P U T V I I .

**Q**uod non multa fide ampleteremur id quod plurimi Autores tanquam certum tradidere, caput Viperinum contritum, morsuque à se infictui admotum illum curare, Experimenti gratia columbi partem multa carne donatum, accurate prius deplumen Viperæ exposuimus; postmodum hujus resectum caput, contritum, & loco demorso admotum manu comprimi jussimus.

Viperæ quoque viventi caput abstulimus, leviter torrefecimus, demum contrivimus, & calens adplicuimus alteri columbo novissime eodem in loco demerso, exploraturi num à calore & nidore, vi ignis excitato, capitis partes amplius reseratae, spiritibus autem li-

terioribus redditis , actionem melius perficerent ; sed utrique Columbo æque infelix fuit exitus , ambo enim semiquadrantis horæ spatio à mortu inficto interiere.

Horum disiecto corpore occurrit nobis , non secus ac in prioribus , sanguis ater , ex parte concretus , semicorruptus , tum in corde tum majoribus vasis : hoc vero à nobis observatum minori livore infectum fuisse partem demorsam ; qui solus verisimiliter effectus fuit capitum dicto modo contusorum , quæ ulterius efficaciam suam proferre non valuerant.

Neque eadem ratio est , ut hoc obiter dixerim , icta Scorpionis , qui contritus , & parti admotus , antidotum ex se præbet & vulneri medetur , cuius rei hæc tradi potest ratio , Quod cum Scorpionis venenum non adeo præcipitis sit actionis , neque tanta celeritate partes internas pervadat , spiritibus è Scorpione contuso emissis tempus concedatur quo commeatum inveniant , ac venenum immissum convenient , illi se adficiant , postmodum evocent : At vero venenum Vipernum massam sanguineam protinus inficere , ac partes ab hac irriguas ; id quod in Nobili nostro extraneo manifestum fuit ; cui tum demum dolores & tumor in brachio suborti sunt cum cætera symptomata præcessere , contra quam in Scorpione observamus , cuius venenum , antequam ulterius pervadat , prius actionem exerit in parte icta , excitatis stupore , algore totius corporis , tensionibus , aut etiam inflammationibus doloribusque intensissimis , ex testimonio Auctorum qui de Scorpione scribunt , & eorum qui ab eo icti fuere .

Veritati consentaneum omnino deprehendimus id quod à Domino Redi traditum , de effectibus Essentiæ Tabaci erga Viperam ; Pertusa scilicet hujus cute , acu trahente filum hac essentia madidum , filo in cute relicto , breviori quam quadrantis horæ spatio interire Viperam , atque artis instar hanc indurescere , nec diu post mollescere & flexilem fieri , quasi jam à biduo integro enecta esset .

Id quoque experimento didicimus , tantillum Tabaci in funem contorti , immissum & detentum intra os Viperæ ; fumum item ejusdem Tabaci , faucibus insufflatum , eundem effectum inducere , sed non ita celerem ; ab iis vero omnibus suscitari convulsiones , insolitasque retractions in Vipera , quas mors tandem excipit : At vero etiamsi cunctæ partes motu careant , cor tamen per semihoram adhuc vibrare .

Hoc præterea experimento confirmatum ab codem Tabaco , vel illius Essentia , enecari Colubros non secus ac Viperas .

Dubius vero sum idemne effectus in aliis animalibus observabilis fuerit ,

tit, quandoquidem traje&ta acu, cum filo adnexo, eidem Tabaci es-  
sentia immacerato, per cutem inferioris ventris Canis, protinus hic  
in ululatus insignes erupit, per semiquadrantem horæ durantes, maxi-  
ma inquietudine comite, modo ingryum ambulabat, modo de-  
cumbebat modo exsurgebat, interim susque deque alvum exonerabat  
excrementis solito liquidioribus prodeuntibus: Alimentum fastidie-  
bat, sed identidem ad potum redibat, postmodum vomitu tentabatur;  
at vero deterius nihil postea accidit, sensimque ad pristinum statum  
rediit.

Viperam aspere incessivimus, atque provocavimus ut aliam Viperam  
dentibus impeteret, quam data opera dentibus alterius juxta admove-  
bamus, etiamsi vero illa hiaret, ac morsui se accingere videretur, coer-  
cebat tamen se, neque dentes imprimebat alteri, quamobrem illos  
compressis maxillis egomet impressi, demorsa vero Vipera detrimenti  
nihil exinde percepit.

A nobis tamen adnotatum Viperam, cui essentiam Tabaci deglu-  
tiendam præbueramus, tenaculis adhuc collo apprehensam, in se ipsam  
dentes convertere; at cum essentia prædicta procul dubio Viperæ lethi-  
fera esset, obitus illius nequaquam adscribendus fuit ejusmodi morsui,  
verisimiliter effectui motuum convulsivorum, ab Essentia Tabaci indu-  
ctorum.

Vasi vitreo Viperam vivam immisimus, ac simul tres grandes Scorpiones vivos, quos toto quatri duo inibi inclusos detinuimus, quo exa-  
cto non alio in statu cuncta dicta animalia deprehendimus quam quo  
imposuimus: Etiamsi nonnulli auctores adstruam animalia ejusmodi si-  
mul incarcerated mutuam sibi inferre necem; Vipera tamen Scorpiones,  
non secus ac Lacertas enecat, plurimaque alia animalia ut inescam sibi  
veniant; at vero id solum contingit quando sui juris est, non vero si ca-  
ptiva fuerit, tunc enim ab alimento abstinet.

Experientia quoque nos docuit Vespa in nequaquam invadere Vipe-  
ram, neque aculeum hujus capiti infigere, neque ab illius lateribus dis-  
dere priusquam extincta sit, contra quam nonnulli Authores sentiant.

Plurimi Auctores scripto tradidere cuncta remedia, quæ vocant Ale-  
xipharmacæ, Viperis lethifera esse, facultate omnino contraria, ejusque  
veneno opposita: Ne in dubio versaretur animus, Viperæ sorbendam  
porrexiimus Theriaces semidrachmam, aquæ cardui benedicti remix-  
tam; illa seorsum recondita, nulla immutatio à nobis animadversa,  
præterquam in cutis superficie, quæ ad aliquod tempus crux ma-  
dida adparuit, at vero & agilior visa est, & ad mordendum paratior.

Quid vero in Viperam spiritus vini præstare posset etiamnum tentavi-

mus , drachmam illius circiter unam faucibus Viperæ infudimus , quæ illico admodum perculsa visa est , miris modis sese contorquens , at cum hæc sensim remittere animadverteremus , æqualem quantitatem iterato exhibuimus , à qua non eadem commotio inducta , sed postmodum pene immobilis substituit , ab hoc spiritu in tantum inebriata ut semimortua jaceret ; Eo in statu toto fere trihorio perstitit , sed tamen motus illi restitui incepit pristinam statum recuperanti , ac , sicuti prior , agilior & morsui quam ante magis idonea visa est .

Conjecimus etiam viventem Viperam in lagenam spiritu vini fere oppletam ; innarantem autem illam observavimus , modo per imam , modo per medium , modo summam lagenæ partem , ac tota hora collasce antequam suffocata interiret .

Viperæ quoque saccharum per vim intrusimus , ex parte pulverisatum , ex parte in aqua dissolutum ; cuncta ad aliquod temporis spatium continuit , postmodum vomitu exclusit ; secretam vero illam successum præstolantes , post viginti quatuor horas interemptam nocti sumus .

Non semel sed sæpius in os Viperæ inspuimus , imo etiam jejuni , sed exiguo post tempore Viperæ salivam nostram vomitu expulere , neque quæcumq[ue] dampni illis accessit , etiam si nonnulli authores scribant tabe Viperam occupari : sin id forte contingat , causa non salivæ adscribenda est , sed abstinentiæ , & mœrori à diurna incarceratione inducto .

Apud plurimos scriptum extat , sicuti jam superius adnotavimus , Viperam insigni antipathia fraxinum odiisse ; adeo ut si vivens Vipera circulo conclusa fuerit , cuius pars dimidia ex foliis fraxini constructa sit , altera ex accensis carbonibus , Viperam ad ignem proprius accersuram , etiam cum combustionis periculo , quam ad folia fraxini ; sed constructo à nobis circulo integro ex fraxini foliis , cuius diameter tripedalis erat , impositaque illius medio Vipera , hæc protinus sese infra folia abscondidit .

Quamdiu in ædibus meis Viperas vivas habui , plurimæ mulieres prægnantes ædes meas convenere , nonnullæ videndi desiderio aliæ incogitantes , quæ ideo horrore & timore concussæ sunt , sed nulli sinistri quid contigit , nedum abortum ulla fecit , id quod nonnulli authores intrepide tradunt ; id forte fortuna contigere posse non diffiteor in mulieri quapiam admodum pusillanimi , constitutionisque teneræ & mollis , quam minor occasio percellere valet , & id malum inducere ; at vero nequaquam generalis regula exinde statuenda est .

Non raro Viperas , tum mares tum foeminas , quo loco siti sunt parastatae compressimus , aut vesicæ semen concludentes , infra scilicet caudam

caudam, ac juxta foramina generationi destinata, id quod tamdiu, tamque arte præstimus, ut inde prodierit liquor albus, sed nunquam à nobis observatus odor penetrabilis, neque fœdus, sicuti neque cum lancetta prædictas Parastatas pertudimus, etsi admotis naribus odorem deprehendere satageremus: At vero è diametro hoc repugnat nonnularum Doctorum assertioni.

**A N I M A D V E R S I O N E S   G E N E R A L E S**  
*circa ea quæ per Experientiam à nobis  
 deprehensa sunt.*

**C A P U T   V I I I .**

**Q**UOD magna animi attentione Experimenta à nobis superius tradita peracta sint, ut & illa quæ silentio involvenda credidimus, ideo nulla occasio prætermissa est omnia accurate pensitandi; nec siue animi oblectatione cunctos effectus, qui se nobis exhibuerunt perpendiculariter, ad amissim consideravimus, ac demum causas omnes indagavimus, animadversiones nostras addituri.

Morsus Viperæ Nobili extraneo inflictus primus omnium uberrimam nobis suppeditavit materiam, exinde enim veneni indolem adepti sumus ab effectis, qui levissimæ causæ soboles esse videbantur, cum morsus integer non fuerit, unicus quippe dens impressus fuerat, qui nequidem alte penetraverat; cuius periculum nequaquam intendere videbatur succus flavus à gingivis emissus innocentia nec enim illius nobis innotuerat.

Nihilominus sæva & lethalia symptomata affatim instabant, interea dum indesinens vomitus remediorum efficaciam obstat, cum moram in ventriculo nequaquam traherent, adeoque nec vim ad diffusa loca & afflcta diffunderent: Neminem latebat subtile quid admodum, celerrimæ activitatis ac generosissimum, in prædicto veneno latere, nec alia suspicio animo observari potuit quam quod intra spiritus id continetur, etiamsi neque illius perspecta esset natura, neque qua ratione aut via effectum ederet, neque quas partes aggrederetur constaret.

Id tamen concedendum in tam præcipiti casu, unde tam insigne periculum imminet, omninoque singulari, atque in tanta remediorum usurpandorum contra indicatione & correpuugnantia, nihil tempestivius occurere potuisse quam exhibitionem Salis volatilis Viperini; cum enim causa morbifica summa tenuitate esset prædicta, admodum

penetrabilis, remedium ejusdem genii disquirendum erat; quod ipsum conveniret, illi se adjungeret, ad corporis peripheriam id abductum & compulsum, per vias quam huic patefecerat.

Præterea vomitus nequaquam interruptus, auxilium citissimi effec-  
tus quod & eo ipso momento actionem suam perficeret exposce-  
bat, aut saltem quod iteratis vicibus, & repetitum, absolveret id quod uno iictu non valeret.

Felix successus qui exceptit usum salis volatilis Viperini, præstantiam hujus nobis manifestam fecit, ac quo domino supra malignitatem horum spirituum valeret ostendit: Nec non animis nostris desiderium induxit rationem tenendi qua tam generosos effectus producit; atque adeo explicite illius naturam tradendi, ut nemo menti nostræ refragari in posterum audeat.

Ex nostra ergo sententia, sal istud qualitate sua subtili, volatili & penetrabili, admodum idoneum est dissolvendis sanguinis coagulationibus, ac disaggregandis partibus jam fixis aut concretis, ut ita dicam, unde deducenda est inordinatio & confusio illius motus, quem in Nobilis dicti sanguine observare licuit, pristino statui dicti salis operstituto; redditoque eo pacto ad partes spirituum libero accessu & commeatu, quo destituebantur.

Censemus etiamnum sal istud volatile, cum primum illi fuerit impli-  
care se tumultuantibus his spiritibus, ejusdem quippe utraque indolis,  
illis nullo negotio ad sociatum fuisse, hosque ad ambitum corporis im-  
pulisse, per poros cutaneos exterminando, unaque, sed illo duce,  
egrediendo per semitam ipsis sale præparatam.

Ligaturæ supra partem commorsam institutæ, scarificationes, ac spatularum ab igne candardium prope partem afflictam adplicationes, sufficietes videbantur coercendo impetu spirituum horum tumultuantium, illisque per hæc foramina foras evocandis, ac progressu*al*teriori inhibendo.

Exhibitio autem Theriacæ, Pulveris Viperini, & similium, conduce-  
re videbatur illis extrapellendis; id quod proculdubio consequi licuif-  
set si modo in ventriculo moram traxissent: Insignem quoque efficaciam  
præbuissent Epithemata ex Theriaca. Cordi admota & Ventri-  
culo, nisi efferatorum spirituum actio adeo præceps fuisset, hac demum  
exinde progressus illorum ad interiora nimius.

At vero Salis istius volatilis usus omnino prævalere debuit (id quod & contigit) cunctis remediis; quæ enim deinceps, & intermedia accessere, subsidiarii tantum ut sic dicam milites fuere, duci suo adstites

cujus-

cujusmodi fuere confectio Alkermes & de Hyacinthis , admodum idoneæ corroborandis partibus principibus , sicut & syrupus è succo lymorum , decoctum radicis scorzonerae ac rasuræ eboris.

Mali Citrii segmina quæ , ex quorundam sententia , acore suo concretioni sanguinis incrementum præberet debuerunt , eo demum exhibita fuere tempore quo Sal volatile coagulationem illam dissolvit: Emolumentum vero præbuere ventriculum crebris & perpetuis vomitibus infraictum corroborando , aciditate vero grata appetitum fugitivum revocando; coctionem alimentorum juvando , corundemque in partes exhaustas distributionem : Adde quod malo Citrio vis ineft specifica aduersus venenum Viperinum , si fides authoribus adhibenda qui illius scripsere historiam , cardiaca præterea & partibus principibus amica.

Inunctio partium tumidarum ex oleo Scorpionum Matthioli , Aqua Reginæ Hungariæ , & admotio Fotuum alexipharmacæ vi præditorum , auxilium insigne afferre debuisse videbantur ; sed rerum series apertum fecit à solo sale volatili expectandam fuisse spirituum horum tumultuantium sedationem & profligationem , illique soli victoriæ palmam deferrandam.

Experimenta deinceps à nobis in non exiguo diversorum animalium numero suscepta , ampliorem nobis suggestere notitiam effectuum veneni Viperini , partium quas id aggreditur , illarum quibus parcere videotur , et si tandem & illæ fatiscant.

Quæ maxime consideratione digna erant in medium attulimus , atque à nobis nonnullæ animadversiones productæ quoad varios canes morsu afflictos à Viperis ; at vero explicandum supereft , quamobrem & qua ratione partes Viperæ deglutitæ cohibere & superare valent venenum à morsu illius inductum.

Statuimus ergo cunctas Viperæ partes sale volatili præsertim gaude-re & abundare , quod beneficio distillationis partim solitarium supereft , partim forma spiritus donatum , qui revera aliud nihil est quam sal in nonnulla phlegmatis portione dissolutum : partim Olei specie , quod iterum nihil aliud est quam sal parti unctuosæ Viperæ remixtum.

Afferimus porro in concoctione , quam obit ventriculus , partium Viperæ ingestarum , idem sal volatile , in illis contentum , secerni & distingui , ac deinceps ad partes cunctas , ejus ope indigas diffundi , si præsertim non exigua portio dictarum partium ingesta fuerit , quo sufficiens prædicti salis quantitas adesse queat ; hinc nemini dubium esse debet quin sal istud effectum omnino similem illi quem expertus est Nobilis morsu impetus ab exhibito sale volatili depromat.

Nisi quis existimaverit idem sal volatile , partibus corporis Viperini deglutitis inexistent , quod ejusdem sit cum efferatis spiritibus indolis, hos ad se pellicere , atque ex illa unitate & coniunctione qualitatem illorum malignam retundi , ac ea ratione superari ut animali demorsivim inferre nequeant : At vero , ex mea sententia , hoc explicatio me ulteriore indiget , fundamentis parum solidis innixum.

Porro, ut spero adsensus nobis dabitur, inter plurima tentata experimenta , id quod in quinque Columbis successive morsu affectis , ab una eademque Vipera , unaquaque vice lacefita , quorum postremus morsu impetus prior obiit , cum ad summum excanduissest in iram Vipera , quo tempore succo flavo maxime exhausta erat : Item experimentum Columbi commorsi à Vipera , quæ crebro objectum panem dentibus prius attriverat , imo ad profusionem usque sanguinis , quo succus omnis abscederet ; subsequentे nihilominus Columbi interitu : Experimenta inquam hæc partim manifestum faciunt succum flavum ad venenum nihil conferre ; partim spiritus hos tumultantes , coadjuvantibus foraminibus à majoribus dentibus effectis , solitariam & genuinam esse lethi causam.

Morsus à Vipera nequaquam in iram provocata factus , cujus maxillæ comprimebantur , ac dentes Columbi corpori per vim imprimebantur , qui multū etiam succum flavum comitem habuit , nullo tamen verendo symptomate subsequuto ; sicuti & punctura ab iisdem dentibus , è capite viventis Viperæ crutis inficta ; vel iis qui adhuc infixi hærent capiti Viperæ mortuæ , omnino innoxii , ulterius rei hujus veritatem confirmant , adeo ut veneni Viperini natura & causa solis spiritibus excandescitibus adscribenda sit ; omnes in genere Viperæ partes , quinimo & maiores dentes ( nisi comites sint efferati spiritus ) veneni expertes audacter pronuntiandi .

Scopus mihi propositus non est ad examen adducere cuncta experimenta à nobis suscepta , sicuti priora de morsibus facta ; tum quia hæc superant captum hominis artem Pharmaceuticam profitentis , tum quia animus tantum fuit morsuum causas disquirere , ac remedia illis convenientia .

Cæterum si in Tractatu de Theriaca , à me nuper emisso , quædam occurrant non omnino consona iis quæ modo protuli de hujus veneni actione , venia proculdubio dabitur , quandoquidem nondum mihi concessa fuerat occasio penitus indagandi naturam & effectus morsus Viperini , fidem quippe probatissimorum authorum sequito ; Quæcunque tamen ibi loci à nobis emissa sunt , neutiquam Viperæ præparationi

rationi Theriaces confectionem officiunt; à nobis suscepτæ, ad cui potissimum scopo tunc intendebamus, non secus ac restitutioni in integrum ac reformationi plurimarum præparationum, artis regulis nequaquam conformium, supereft jam ut tradamus remedia ex Vipera depropria, idonea curationi morsus ab illa inficti; ac sexcentorum aliorum affectuum. (*Vide sub finem Libri.*)





S E R I E S  
*NOVORVM*  
EXPERIMENTORVM  
*CIRCA*  
V I P E R A M  
*SVSCEPTORVM.*

*Cui addita est*

DISSERTATIO DE NATURA ILLIUS VENENI;  
*Respondens Epistolæ à Domino FRANCISCO REDI, Nobili Arezzino,*  
*Conscriptæ ad Dominos BourdeLOTIUM & MORUM,*  
*Editæ Florentiæ anno 1670.*

AVTHORE MOSE CHARAS.

СЕРИЯ  
МУЗЫКА  
МАЯНПИ

МОСЕЧНАЯ



# SERIES RECENTIVM EXPERIMENTORVM *CIRCA* V I P E R A M S V S C E P T O R V M.

**S**Ententiam à me emissam de natura veneni Viperini firmis rationum momentis stabilitam credideram , & adductis non paucis experimentis, validis argumentis confirmatis, à me publici juris factis, cum Parisiis sparsim increbuit Epistola à Domino Redi conscripta, qua sententiam meam impugnat.

Cum vero insignes ipsius dotes inter eruditos non infimum illi locum adsignent , non defuit epistolæ fides , plurimorumque animos alio hæc pertraxit , quinimo & illorum quibus mea ante sententia adriferat, quam & jam ambabus ulnis amplexi videbantur.

Apologiam meam suscipere illico licuisset , atque refellere quæcumque prædicta Epistola adversus me continet , quod & validissima & plurima suppetant argumenta per quæ tueri licet , ac veritati esse consona ostendere quæcumque libello meo inserui : At vero satius esse credidi responsum in ver usq; proximum distulisse, quo recentibus susceptis experimentis , omnibusque ulterius confirmatis , nova face accidente veritate, omnibus res deinceps illustrior evaderet.

Ex hac ergo Experimentorum serie cuivis conspicuum futurum est me neutquam ejerasse priorem sententiam , quin potius pertinacius adhuc illam tueri atque amplecti.

Hic vero ingenue profiteor , cum Libellum meum publici juris feci, in hunc potissimum scopum me intendisse ut quam accuratissime à me revera comperta exponerentur ; Dominum Redi ( quem debito cultu

RECENTIUM EXPERIMENTORUM  
 veneror, ob raras & insignes dotes, à cuius benevolentia & amicitia  
 me non omnino alienum esse existimo) nequaquam incesserem aut im-  
 peterem, adeo ut nunquam in mentem venerit ut ipsum provocam ad li-  
 brum meum impugnandū, nec cogitatio inciderit futurum ut meam tu-  
 telam adversus illum aliquando susciperem; Calamum tamen adversus  
 me strinxit, neque Epistolæ copiam ulla tenus mihi fecit, etiamsi pluri-  
 mos & Parisienses & extraneos illo honore affecerit, imo à nonnullo  
 commercio literario inter nos inito, cuius rei testimonium exhibere in  
 promptu est.

Imo vero & id iterum sincero animo assero, cum contradicendi qui-  
 busdam capitibus prioris illius Epistolæ abluta esset occasio, id me invi-  
 tum fecisse, cum ut mihi temperarem rei natura nequaquam concede-  
 ret, nisi proprios sensus impugnare voluisse, & quæ oculis meis pluri-  
 morumque aliorum testimoniū obversabantur in dubium revocare; Quin &  
 id sincere profiteor, pedem referre me esse paratum, atque ejerare quæ  
 protuli, illi adsensum daturum, nisi omnino mihi constaret veritas eorum  
 quæ protuli, plane ipsius sententiae repugnantium.

Præmissis his denuntiationibus, cum mihi compertissimum sit, tum  
 ratione duce, tum pluribus experimentis recentissime susceptis, à me ni-  
 hil in medium allatum esse quod veritati plane consentaneum non sit,  
 mearum omnino partium esse ratus sum à partibus illius stare, illam pro  
 viribus tueri; coqueta lo de publico bene mereri; ostendendo per-  
 quam difficile futurum ut quicquam prodeat quod illam labefactare  
 queat.

Controversiæ cardo inter me & Dominum Redi in hoc potissimum  
 vertitur, Quod ex illius sententia in succo flavo, in vesiculis gingiva-  
 rum contento, sedem & domicilium revera habeat venenum Viperi-  
 num: Revera succum prædictum ore adsumptum nequaquam beneficum  
 esse, at vero à morsibus qualitatem deleteriam consequi, quos infligit  
 Vipera quamdiu vita fruitur, imo & illos quos plurimis ab obitu illius  
 diebus impingere licet, dummodo interveniat succus flavus: Eundem  
 illum succum, sive ex Vipera vivente, sive mortua elicitus fuerit, nun-  
 quam veneni expertem esse si vulneribus intromissus fuerit, commixtus  
 que sanguini animalis læsi; sive quis illum in usum duxerit liquidum, sive  
 exsiccatum ac postea contritum, Sine discriminé vero cuivis animalium  
 generi perniciem intentare vulneribus illorum inditum.

Me quod attinet, cum ex prædictis articulis illum solum admittere  
 queam quo succi flavi ore ingestā innocentiam statuit, Cæteros vero  
 respuens, edico Venenum Viperinum aliam sedem non obtinere quam  
 in Efferatis Spiritibus: Succum Flavum tum Viperae vita fruentis, quini-  
 mo

mo & ad summum excandescens ; tum desuntæ, aut recens aut jam pridem, in se nihil venenati continere, neque morsu communicatum, neque interius adsumptum, neque vulneribus jnditum neque sanguini remixtum, nec denique quolibet modo usurpatum, Nulli omnino animali lethiferum esse aut injurium ; idque puram putam Salivam esse, eamque innoxiam.

Litem præcipue dñrimet facti veritas, et si & dilucidationem obtinere queat ab argumentis validissimis : Absit vero ut Dominum Redi suspectæ fidei Virum, quoad experimenta à se facta, pronuntiem, etiam si publici juris, sicuti mea, facta nequaquam fuerint ; ac forte aliquid objici queat quoad mortuum formalem rationem, aut succi flavi explorationem ; Famæ Vir est illibatae ac firmius stabilitæ quam ut labes illi inferri aut concuti queat, hac vero parte maxime mihi timeo ; Intetum contrarium apud me stat illis quæ in suo libro profert ; quæ autem illi oppono adeo dilucide adparent in meis experimentis, tum prioribus tum posterioribus ; tam iis quæ solum coram quibusdam curiosis suscepimus quam illis quæ in publicis conventibus facta sunt, præsentibus plurimi Doctoribus Medicis, aliisque viris his in rebus oculatissimis, ut omnino fieri nequeat ut veritas harum rerum amplius velo obtegatur, hujus Disceptionis præcipui fundamenti.

Nemini mirum esse debet, si cum Dominus Redi experimenta sua suscepit ex mandato & sumptibus Potentissimi Principis, non minus rerum novarum avidi quam liberalis animi, nullo negotio Viperas comparare potuerit, omne animalium genus, ac majori multo numero quam mihi cœcessū fuerit, qui omnia proprio nutu suscepit & tentavit, propriisq; sumptibus, unico desiderio incitatus verum à falso dignoscendi ; illis vero parcendū credidi quando voti compos factui sui & veritatem adeptus sum, omnibus porro adstitibus satisfactum à sufficienti experimentorum uniformium numero.

Si enim Domino Redi satis fuit deglutiendum præbere succum flavum unico homini, unico anati, unico hoedo, ut inde pronuntiaret illum haustum esse innocuum, majori experimentorum numero non adducto, nequaquam in me insurgere debet, ac vitio vertere quod curiositatimæ limites æquos præfixerim, at pluribus circa unam eandemque rem experimentis tentatis, quam ipse confiteatur à se suscepta fuisse, sicuti id conspicuum est in priore ipsius Epistola paginis 17. & 18.

Iniquam ergo mecum expostulandi caprat occasionem : Vitis Illustribus libri mei opificium adsignans in sua Epistola, quod multitudine experimentorum observationes meas de Vipera, priore ipsius Epistola anni 1664. enarratas, non stabiliverim.

Deerat inquam ipsi occasio hac parte me vellicandi cū ipsum prævium habuerim, ac eadem illa Epistola quædam protulerit, ac pro compertis hæc haberi voluerit, quæ ulteriorem experimentorum numerum nequam exposcebant cum ea quæ in libro meo tradita sunt suffictura essent.

At vero id certissimum assero multo plura quam quæ enarraverim à me facta fuisse, Nec latebat ipsum sub finem paginæ 23. prioris epistolæ hæc verba contineri.

*E quel veleno schizza tutto fuora, se non al primo, al meno, al secondo morso, si che il terzo (è più volte l'ho esperimentato) non è velenoso.*

Sin venerationis gratia scriptorum Viri, tantopere celebris, credidi inter cetera experimenta à me suscepta, ab expositis dentibus unius ejusdemque Viperae, una quaque vice in iram provocatae, quinque ex serie Columbis, omnibus interfectis, imo posteriore citius cæteris occubente, illis fuisse acquiescendum, vix credo hac parte Domino Redi ansam præberi me incessandi.

Priore Epistola, quin & postrema, asseruerat Venenum Viperinum in succo Flavo larem suum fixisse; Venenum id omnino exhaustum primo, vel saltem secundo morsu; ac sæpius à se experimento comprobatum tertium morsum plane inefficacem esse: Adeo ut si mihi compertum fuerit totum succum flavum esse exhaustum in secundo morsu, secundo columbo inficto: Sin deinceps me præsente tres alij columbi occubuerint ob novos morsus ab eadem Vipera inflictos, quæ priores duos morderat, nunquam inducar ut credam merito mihi succensere Domini Redi quod ad ulteriora experimenta non perrexerim.

Quinimo & ipse æquus mihi esse potuisset, si libuisset, ultro concedendo me plura quam ratio postularet præstisset; Ac deinceps necessitatem mihi incubuisse aliorum quam in succo flavo venenum disquirendi quandoquidem, ipsomet teste, amplius non concurrebat is in tribus posterioribus morsibus; ac postremi tres Columbi æque cito morte, imo citiori quam duo priores perempti fuerant, quorum interitum succo flavo adscribere potuit.

Sin mihi nequaquam licuit, uti neque Domino Redi, in toto Viperae corpore, quampiam partem oculis obviam, aut palpabilem, quæ venenosa fuerit, nancisci quæ merito veneni sedes haberi debeat, ac legitima causa obitus, tres postremos morsus subsequuti, cur mirum illi visum fuerit si illam disquisiverim, & naætus sim, in spiritibus excandescientibus, ac basin disquisitionis meæ constituerim, Experientiam & Rationem?

Porro cum potissimum scopum, eumque unicum, experimentorum meorum

meorum instituendorum mihi proposuerim, desiderium intime rerum harum veritatem adsequendi, à me vero pagina 31. posterioris epistolæ observatum fuerit Dominum Redi optare ut porro recentia experientia suscipiam circa instantias mihi objectas, ut certius de omnibus mihi constaret, acquiescendum illi esse credidi, id oneris mei & Ejus gratia suscipiens.

Postremo enim Majo mense, in Elaboratorio chimico Horti Regij, coram ducentis aut tercentenis testibus, tam Medicis quam aliis viris, oculatissimis, & periti, & fide dignis, ex plurimis Viperis viventibus, ex Delphinatu, & variis Piastaviensis agri locis ad me transmissis electa à me fuit Vipera fœmina, maxima, eaque vivida, et si ex loco sat diffuso deducta, cujus diductas ambas maxillas sedulo abstergi curavi, iteratisque vicibus, (exhauriendi causa cunctum succum flavum, in gingivarum vesiculis contineri solitum, qui & ad partes vicinas diffundi potuerat) ope lintei tenuis quo manubrium scalPELLi involutum fuerat: Postmodum ejusdem Viperæ collum volsellis apprehendi; ad iram ipsam provocavi, caudæ extremum dentibus comprimento, ac per vires collum volsellis, quibus apprehensa, atque illico, eosque ex ordine, quinque columbos vivos, ac duos pullos gallinaceos commordendos objeci, pectoris partem maxime carnosam exponens, irritata unaquaque vice Vipera.

Data quoque opera sex columbos aut pullos gallinaceos vulneravi variis in locis coram uniuerso coetu, quibus immisi guttas succi flavi, eductas è vesiculis aliarum Viventium laceſſitarum: Hos & illos distinete collocavi, Coetus vero una circiter post hora dimissus est, qua nec dum elapsa quinque è prædictis columbis, aut pullis gallinaceis, intersesti reperti sunt; alij vero duo superstites post horam circiter integrare.

Columbos autem & pullos gallinaceos quod attinet, quos vulneraveram, plagis autem affatim succum flavum immiseram, impune illi evasere; si excipias livorem quandam in parte læſa manifestum, cuiusmodi vel sola læſio inducere potuifset, nequaquam in partes veniente succo flavo.

Biduo post in conventu eosdem & columbos & pullos gallinaceos vulneratos exhibui, proba fruentes valetudine, vulneribus inflictis propemodum sanatis, in quibus tantillum livoris supererat.

Eadem porro animalia aliis in locis vulnerare decreveram, succū flavū vulneribus immisurus: Nonnulli quoq; infundendum suadebant cuipiam dictorum animalium succum flavum, eadem ratione qua celebrari solet transfusio (diversis in Europæ locis) sanguinis extranei in hominis alicu-

Manus huic propositioni non illibenter dedi, susceptaque istius succi intromissio in unum dictorum Columborum qui biduo ante vulnerati fuerant: Medicus & duo Chirurgi operam navaverunt in isto Columbo, tum incisionis gratia, tum ligaturæ vasorum maxime conspicuorum in ala dextra, sed adeo insignis contigit sanguinis effusio in columbo ut mors cita illius subsequuta sit; Quamobrem pronuntiavi Columbum ex sanguinis effusione interiisse, nequaquam à succi flavi immissione, ideoque necessarium esse ut unus Chirurgus, è coetu electus, alias susciperet operationem in aliquo quopiam prædictorum animalium quæ biduo ante vulnerata fuerant, in quibus etiamnum succi flavi periculum factum fuerat.

Illico ergo operatio instituta est in pullo gallinaceo, qui non modo salvus evasit, sed & postridie, ac diebus subsequentibus ab iis omnibus qui coetum componebant visus fuit incolmis, non secus ac cætera animalia quæ iteratum vulnus perpessa erant, rursumque succum flavum experta erant, etiamsi alia quam transfusionis via.

Non diffiteor ramen è Columbis qui bis sauciati fuerant, unum exigu à læsione tempore interiisse, repertum in fornace fictili, conclusa, admodum calente, alteri contigua non absimili, quo tempore distillari curabam spiritum & oleum Tabaci; cuius interitus adscribendus fuit penetrabilibus vaporibus inter distillandum viam sibi facientibus, aut immodico fornacis calori, qua conclusus fuerat, adeo intenso ut manus illius vehementiæ impar esset; adde quod cum suo fornax instruta esset operculo, nullus fere aëri introitus pateret.

Cum porro Domini Redi fama plurimos fautores & adprobatores sibi conciliaret Lutetiae Parisorum, à me deprehensum est nonnullos qui conventui interfuerat, in dubium revocare num succus flavus perpetuo innoxius foret? Cum vero tunc temporis domi alerem quatuor canes varie magnitudinis, authör iis fui, imo suasor, qui maxime hæsitabundi erant, aut instituerent, aut institui curarent succi flavi in venas immissionem, juxta transfusionis regulas, experimento facto vel in omnibus canibus, aut saltem uno: At vero etiamsi acriter instarem, nemo rem aggredi ausus fuit.

Hæc ratio recusandi allata est, quod prædicta animalia justo robustiora essent quam prædictæ operationi imparia essent, illique succumberent, quandoquidem pullus gallinaceus, in quo instituta fuerat, ac bis succum flavum admiserat, lethum evaserat, sicuti & cætera animalia quæ saucia fuerant uno eodemque cum illo tempore, in quibus quo-

quoque iterato succi flavi periculum factum fuerat; Quamobrem assi-  
veranter enuntiavi in me nullam moram esse, nec per me stare quin ad  
alterum experimentum fieret transitus, Eos qui coctui intererant ro-  
gans ut prædictorum adstantium detractionem, tanquam adsensum  
innocentiae succi flavi pronuntiarent.

At vero cum hæc mihi nequaquam satisfacerent, in subsequentem  
diem negotium distuli, pollicitus alia animalia, minoris quam canes  
magnitudinis; quo succi flavi innocentia amplius in aperto poneretur,  
iteratas in saucias partes instituendo illius infusiones.

Columbos tunc sex nactus sum, duosque felinos catulos; imo id con-  
sequutus sum à Viro, quem addictissimum Domino Redi neveram, ut  
ipsem incisiones ficeret, ac succum flavum ex proprio arbitrio impo-  
neret; Incisiones pro libitu instituit, imo ipsem cutim in ambitu vul-  
nerum à se infectorum diduxit, & tam alte, ut cohibere me nequierim  
quín subridens edixerim plura ipsum quam Dominum Redi præstare, si-  
cū ex illius literis constaret, in quibus ait *Boni esse pastoris tondere non  
deglubere.*

Catellorum felinorum unus iectus fuit in auris parte cartilaginea, nul-  
lo sanguinis apparente vestigio circa locum demorsum, atque is evasit:  
Alter multo minor, qui notitiam subterfugere non poterat ob colorem  
nigrum & aures ademptas, data opera læsus fuit in summa colli parte  
postica, ac in vicinia loci ubi desinit os Occipitale; Cutis à carne in  
vulneris ambitu divulsa fuit, utraque ex parte in confinio partis ante-  
rioris colli; Succi autem flavi in utroque latere tantum impositum fuit,  
uti & in vulnera quantum libuit: Demisso capite jacebat felis, præser-  
tim ratione doloris quem patiebatur, ex parte enim vivus ex coriatus  
fuit: nec minoribus afficiebatur doloribus in duabus aliis locis; in qui-  
bus itidem & sauciatus fuerat & excoriatus.

Affidentium nonnulli jam adversus me stabant, causaque me casu-  
rum pronuntiabant, inevitabilem quippe esse felis mortem: nequaquam  
tamen ille interiit, et si pussillus & matri subductus; exactisque viginti  
quatuor horis coctui salvus & incolumis oblatus fuit, etiam si neque ubi-  
ribus admotus fuisset, neque ullum oblatum alimentum tota illa tempo-  
ris intercapidine.

Id vero notatu dignum est, Felem illum restitutum viro cuidam Re-  
ligiosos ad quem pertinebat, adultiorem autem factum, etiamnum  
hodie exhibere cranij partem posteriorem nudatam in vulneris sede,  
nihilominus tamen, præter carnium privationem, & cutis nonnullis in  
locis abscessione ubi deglubitus fuerat; plane hilaris erat, gesticulatio-  
nibus simiarum æmulis insignis.

Postremi sex Columbi, uno eodemque tempore vulnerati, in quibus succi flavi efficacia tentata fuerat, etiamnum in medium prodiere, ad servari iterum per quinque aut sex dies una cum aliis columbis & pullis gallinaceis, iterata vice ante sauciatis, quos inter fuit is in quo suscepta fuerat transfusio: Si denique occisi fuerer, tosti & in hilari coëtu comedisti, imo composito ex eorum nonnullis qui laesioni intererant, quorum palato sapidi visi sunt.

Inter cuncta haec experimenta periculum etiamnum facere volui num capita Viperarum, non ita pridem occisorum, non resecto collo, nec ablato succo flavo, necare valerent animalia dentes illis, vi ad primendo, diductis & compressis maxillis: Tentavi id in columbis & pullis gallinaceis, dentes Viperarum quantum altissime licuit; adigendo; eum quoque in effectum adhibui Viperas integras, quas mortuas in doliolo natus eram vivis intermixtas; at cuncta haec peracta sunt nullo animaliu*m* istorum damno, ne dum quopiam interempto.

Silentio hic prætermitto plurima alia experimenta meis in ædibus peracta, coram variis Medicis, cuncta in hoc convenientia quod succi flavi innocentiam apertam faciant, veneni autem præsentiam in spiritibus excandescentibus demonstrent.

Neque tamen subticere fas est quid tres juniores Medici præstiterint, quibus de experimentorum meorum veritate omnino constabat; tum quoad succi flavi innoxiam vim, quam morsuum absque præsentia spirituum lacesitorum infectorum, Si certatim sibi à Vipera mortua, suo succo flavo donata, curarunt digitum morderi, tam alto vulnere ut cunctis sanguis emanaverit, sed nullum aliud detrimentum passi sunt præter id quod à punctura aciculae expectari debet.

Majori proculdubio experimentorum numero sententiam meam confirmare licuisset, nisi mihi jam constaret in mei gratiam ipsum Dominum Redi plurima perfecisse, opinionem meam corroborantia, nominatim autem id quod pagina 26 propriarum observationum memorat.

*Si morì un pollastro morsicato da una Vipera, alla quale io aveva tagliata la punta di denti, e fatto bello studio schizzar fuora delle guaine quel mal-liquore che vi sta nascosta.*

Cum enim, ipsomet confitente, obierit pullus gallinaceus eo quod à Vipera commorsus fuerit, cui summitates dentium resecti fuerant, ac studio adhibito è gingivarum vesiculis succum flavum omnino absterrerat, quem improbi liquoris nomine indigit, & genuinum veneni domicilium constituit, neque mihi neque illi licet pulli gallinacei obitum abscribere absenti succo vel dentium cuspidibus, quos ipse abssecuerat

rat; Adeo ut una mecum confiteatur necesse est solos maleficii accusandos esse spiritus Viperæ ira percitos, eoque pacto in hoc mihi consentire, videlicet Venenum Viperinum nequaquam crassum esse & materiale, sed invisibile & ad spirituum indolem accedens.

Ut vero iterum innotescat Dominum Redi incogitanter in meam sententiam descendisse, eandemque confirmasse; eodem vero tempore sibimet non consentire, sed aperte contradicere, posteriori epistola primam Propositionem destruendo, nempe *Totum Venenum Viperinum primo, aut saltem secundo morsu, effundi; tertium vero veneni omnino experient esse*, id quod se saepe saepius experimento verum deprehendisse afferit; Occurrunt hæc illius verba pag. 33. 34. & 35. posterioris epistolæ.

*Sul principio di maggio scelsi una Vipera femmina delle più grosse, e rigogliose, e le feci mordere nella coscia destra, a un per uno dieci pullastri, de quali il primo, il secondo, ed il terzo, morirono quasi subito: il quarto parve solamente stesse di malavuglia; ed che i quinto egli altri tutti non solamente non morirono, ma non ebbero male alcuno: E pure ogni volta, che la Vipera mordeva, se le dava grandissima occasione d'incollarirsi a suo dispetto, ogni d'insuriarsi.*

*Nel Mese del Guigno replicai l'esperienza con cinque anitre domestiche fatte mordere da una sola Vipera, dalla quale feci mordere, immediatamente dopo tre piccioni torraivoli: La prima anitra ferita morì in tre ore, la seconda in cinque ma l'altre non morirono: Egli bon vero, che morì il primo piccione torraivolo, non già gli altri due ultimi: Di dodici piccioni grossi una volta ne morirono solamente quattro, ma il giorno seguente di dodici altri ne morirono fino in sei: Di cinque conigli ne rimasero morti tre.*

Diversa hæc experimenta, è diametro repugnātia primæ assertioni Domini Redi, proculdubio viro ingenii non adeo astuti confusione in illatura essent, Primo enim testis est ex decem pullis gallinaceis, ab una eamdemque Vipera demorsis, tres priores illico lethum obiisse, quartum autem leviter ægrotasse: Testis idemmet, ex quinque anatibus, ac tribus columbis, successive ab unica Vipera demorsis, primos duos anates mortuos esse, una cum uno columbo è tribus, qui etiamnum demorsus fuerat post morsu impeditos quinque anates.

Semel in illius conspectu ex duodecim columbis commorsis quatuor interficti reperti sunt: alia vice ex duodenario numero media tantum pars superstes fuit: Ex quinque etiam cuniculis commorsis duo solum mortem evasere.

At vero satis demirari nequeo quod cuncta hæc experimenta à priore sententia ipsum dimovere nequaquam potuerint, aut saltem ut animo penderet & dubius teneretur efficerent; Nec dubito, quin numerus a-

nimalium intersectorum major futurus fuisset, si morsus aliis locis quam femoribus inflicti essent: nam præterquam quod ossibus donata sunt, nervis & tendinibus, à quibus obtundi possunt aculei dentium ipso primo morsu, musculi præterea femorum viscidi admodum sunt, quamobrem glutine quoddam obducuntur mordentis Viperæ dentes; pori eorum ex parte obturantur; imo à prædicta viscositate præpediri potest liber introitus dentium in subsequentibus morsibus; ac proculdubio id magis ac magis expectandum à reiteratis morsibus.

Imo neque demiror anates non æque cito peremptos fuisse ac pullos gallinaceos aut columbos, aut minorem illorum numerum periisse, nam præter superius à me adductas rationes, illis & cutis, & ossa, ac cunctæ aliae partes multo duriores sunt, minusque dentibus Viperinis pervixæ quam carnes pullorum gallinaceorum & columborum; In quibus omnibus præterea nullus mihi commodior locus tentandis experimentis videtur, quam pars pectoris carnea, in qua neque nervi neque tendines, imo nec ossa proxima occurunt, imo neque visciditas quæ in femorum musculis reperitur.

Experimenta nihilominus prædicta, ab ipso Domino Redi peracta, hunc, si bene jūdico, compellere debebant ad primam assertionem ejerandam; Sin vero præterea pertinax est in sententia, succum flavum legitimam esse veneni sedem, credat is necesse est illius inexhaustam esse originem, novumque in unoquoque morsu protinus succedere; vel si à sententia discedere velit, nec venenum amplius in succo flavo constituere, incumbit illi necessitas aliquod aliud subjectum excogitandi cui id affingat, nisi meam amplecti voluerit opinionem, meque imitatus venenum in spiritibus excandescentibus constitutus, quandoquidem illud incassum disquirit in succo flavo, jam profligato post secundum morsum, sicuti ipse afferit; qui manifestius adhuc abesse debet cum data opera sedulo abstulit vesiculas gingivarum Viperæ cui pullus gallinaceus expositus fuit, morsus vero exitiali tacto.

Etiam si Dominus Redi hodie palinodiam canere paratus esset, & à pristina discedere sententia, affereretque succum flavum necessario in omnibus morsibus Viperinis occurrere, etiamsi id plane sit impossibile, opinio tamen illius nunquam inhæsura est animis illorum qui occupari se non patientur, quibus prima & postrema mea experimenta cognita sunt; quos inter etiam, adsunt eruditissimi, qui examine prius instituto glandularum salivarium, quarum historiam (postquam exploratæ mihi fuere) ipsis tradideram, præterea observavere exilia vasa lymphatica, majori multo numero quam quæ antea se mihi exhibuerant; Perlectis vero posterioribus Domini Redi litteris, animi anticipites esse voluerunt donec nova mea experimenta in publicum prodirent, à

quibus in priore mea sententia oīnnino obfirmati fuere.

Nam, ut hoc præteream me ( multis præsentibus, variis temporibus & locis, plurimis in coetibus, quinimo & in dissertationibus apud Domini num *Bourdelotum* habitis) non semel deglutiisse succum flavum è vesiculis gingivarum non paucarum Viperarum viventium, admodum excentrum depromptum, sed semper impune, ne minima subsequuta noxa, non secus ac contigit venatori Viperarum Domini *Redi*; Id alta voce enuntio omnibus, à succo flavo, nullo unquam tempore, nullo loco, nullum animal unquam interemptum fuisse, ex iis quæ à me fauciata fuere, aut data opera fauciata vidi, quorum vulneribus succus ille flatus immisus fuit, etiamsi calens adhuc elicitus è vesiculis gingivarum Viperarum viventium ad itam provocatarum, tantum abest ut succus Viperarum vita defunctorum idoneus fuerit necando cuiquam animali.

Id etiamnum assero nullum unquam caput Viperinum mortuum, si ve Vipera integræ fuerit, aut solum collo donata, etiamsi succus flatus copiosus adesset, detrimentum vel leve intulisse vel hominibus vel brutis morsui impletis.

Succus flatus à me ingestus coram coetu in ædibus Domini *Bourdelotii* habito, in memoriam mihi revocat epistolam Domini *Traperii*, Viri admodum curiosi, sinceri & periti Pharmacopœi, Aquis Borboniis ad dictum Dominum *Bourdelotum* scriptam: publice lectam, in qua hæc inter cætera habentur; Anno 1630. à se captam fuisse Viperam, cui dentes aduncos resecuisset, hanc peragitavisse; biduo aut triduo exacto vultui illam admovisse, leviter comprimendo, morsu labrum ipsam impletivisse, insigni dolore excitato, quamobrem illam abjecisse in terram ac indignabunde pedibus contrivisse, Labrum & vultum intumuisse, factam fuisse ligaturam, exhibitam sibi fuisse Theriacam eandem loco demorso applicatam, circa locum affectum emersisse exigua vesicam, ex qua disrupta prodierint duæ tressæ guttæ liquoris, colore ex flavo nigrescentis, vultum autem mensis spatio insigni pallore suffusum fuisse.

Si quid circa hoc experimentum sentiam scire quis aveat, illud prius enuntio omnibus dictis me assentiri, imo addo nihil contigile quod dissentiat à principiis à me constitutis, quæ etiamnum adhuc amplectior, Etiamsi enim Viperæ absenti fuissent majores dentes, qui integri altius pervasisserent, ac commiscuissent sanguini proculdubio D. *Traperij* Viperæ spiritus irritatos; minorum tamen dentium apices resectos non fuisse, quos eodem in conventu exhibui, una cum cæteris partibus vicinis, in faucibus Viperæ viventis ab eodem Pharmacopœo qui commorsus

fuerat ad Dominum *Bourdelotum* transmissæ : quorum minimorum dentium ante hac descriptionem tradidi , quinimo & figuram ; necnon & maxillarum superiorum & inferiorum quibus infiguntur , sicuti id conspicuum est in Anatome Viperæ à me conscripta, sectione de Dentibus, Tabula tertia.

Etiam si vero minoribus illis dentibus desint & longitudo & crassities majorum , eadem tamen iij donantur figura & materia, ossæ enim sunt, adunci , concavi, diaphani & acutissimi , adeo ut spiritus excandescentes illorum interiora pervadere queant, tanquam exigua infundibula, ac poros illorum transmeare non secus ac majorum : at vero altius subire non valent , prohibente scilicet parutate dentium quominus foramina ipsas carnes attingant, cutem tantummodo pervadentes.

Porro , ad examen adducens cætera symptomata D. *Traperio* molesta, ab inficto hoc morsu , cuiusmodi in epistola enumerantur , nihil in illis non verosimile , aut quod fidem excedat deprehendo : Etiam si enim spiritus excandescentes introitum nauci essent per foramina à minoribus dentibus inficta, carnes tamen nequaquam attingere & subire potuerunt ; neque commisceri sanguini , quod foraminibus requisita profunditas deesset , adeo ut vires suas solummodo in locis subcutaneis exercere valuerint , unde consequuta est labij intumescientia & vultus pallor, ad mēsem integrum fœdatus; quæ symptomata procul dubio protinus cessissent unicæ dozi salis volatilis *Viperini*, cuius ope spiritus excandescentes in auras discessissent , in spatiis subcutaneis subsistentes, denegato ulteriori ad interna progressu.

Vesiculam in vicinia loci demersi obortam quod attinet, ac guttam unam vel alteram liquoris fuscæ qui exinde prodiit , nihil aliud is fuit quam paucum serum , inibi congestum , ex partibus vicinis derivatum, productam per compressionem à ligatura factam ac contusionem à dentibus & maxillis tempore morsus inductam , nequaquam interveniente succo flavo, qui præterquam quod innoxius est , subire nequissit adeo exilia foramina.

Cum tot experimenta præcesserint , cui meas superaddidi animadversiones, tam circa succum flavum quam spiritus Viperæ lacesitos, vix animo concipere possum quomodo omnia animalia , de quibus meminit Dominus *Redi* ad unum, ne unico quidem superstite, ab immisso succo flavo in vulnera, ab Eo dictis animalibus inficta, necnon per morsum capitum amputatorum, aut Viperarum integrarum , imo jam à pluribus diebus mortuarum interierint: Nimis multa in contrarium mihi suppetunt experimenta, cum plurimis testibus, quam ut in dubium mea revo care velim & à priori sententia discedere.

Quo vero ex iis quæ protuli, veritati omnino consentaneis, cuius oculi testimonium perhibent, in utilitatem publicam aliquid redunder, officij mei esse existimo animi sensa quoad hæc depromere, ac ita obviam iis quæ contra afferri queunt, imo objectiones mihi met fingens.

Succum ergo Flavum quod attinet, dico nihil ex se agere posse quam pro propria natura, materiae dispositione, ex qua id constat, ac juncta activitatis vi: Sic, exempli gratia, in aqua fluviatili nemo deprehensurus est saporem, facultates, neque partes ex quibus vinum constat, nec enim inebriandi vis illi adest; Neque in eadem occurrit vel acrimonia, vel penetrabilitas quæ urinæ inest, neque color aut felis amaritudo: Spiritus vini à parte aquæ, qua cum commixtus erat, liberatus, cuius præsentia vinum prohibebat à solitis sibi effectibus, multo tenuior est, ac generosior ipso vino è quo eductum est: Sal urinæ volatile majori proculdubio penetrabilitate donatum est ipsa urina, qua ante sublimationem obvolvebatur: Ne vero ex re ipsa egrediar, Sal volatile Viperinum admodum dissidet à carne & ossibus Viperæ è quibus eductum fuit; quod minima etiam quantitate exhibitum momento temporis majorem effectum editurum est, tum odore tum penetrabili vi, quam à decupla portione materiae è qua extractum est, intra plurimum horarum spatium expectare liceret.

Serum biliosum, acre, falsum & spirituosum, quod generationem familiarem habet in corpore, subitanæ oculorum inflammations gignis, maxillarum & genarum tumores, gingivarum, faucium plurimorumque aliarum partium, sicuti etiam pustulas, erysipelata, quin & gangrenam ipsam, cuncta vero hæc vi partium id componentium, ac activitatis propriæ efficacia; At vero phlegma crassum & viscidum, nihil simile editurum est, quod Naturæ aliter quam proprio pondere, frigore aut tenacitate molestum esse nequit: Phlegma, inquam, propria indole nunquam celeris erit actionis, neque ullum alium effectum editurum est quam admodum segnem, naturæ illius consentaneum, angustis limitibus circumscriptum.

Ex his infero Succo Flavo neutiquam innatum esse ut ad partes dissitas commeat, in iis effectus vehementiæ & efficaciæ veneno Viperino congeneres pariat; Affero præterea salivam viscidam, lentam & pene insipidam, insignes progressus exiguo temporis spatio perficere nequam posse: Ac demum impossibile esse substantiam ipsius pervadere posse foramina à dentibus Viperæ inficta, exilia admodum, quæ visum fere effugient; neque eandem dentium foramina subire posse, nedum illorum poros transmeare, si hæc illi incunda sit via.

Dico iterum, etiamsi totus dens forte obductus esset succo illo flavo, quo tempore morsus infligitur, à cute animalis commortsi, quinimo & ipsa carne, si eo usque penetraret, extra mortuum cohiberi, ac penetrationem præpediri, Porro quamvis id præstare idoneum esset, requiri præterea locum receptioni idoneum, viam patentem per quam excurrere illi liceat, nec non insigne temporis spatum quo ad partes remotas deferri queat: Addo & hoc, etiamsi eousque penetrasset ( si modo id illi licet ) nunquam ab illo expectandos esse effectus alios quam quos Natura concessit.

Porro si Succus iste Flavus generosæ cuiquam actioni adendæ idoneus esset, proculdubio is vel omnino vel ex parte manifestus foret cum deglutitus est & in ventriculum intrusus ; ubi loci à calore, vel rerum omnium necessiarum concursu ad illius fermentationem, si modo materiae aptitudo adest, de potentia in aëtum deduci deberet: In transitu enim ventriculi & intestinorum inficeretur chylus ac veneni naturam indueret, una per vasa lactea, ac Thoracica, ( bonis avibus ab Illustri Dom. Pequeto, reperta ) ad cor cum sanguine in reditu deferenda, qui subjectum est & materies in quam peculiariter venenum Viperinum tyrannidem suam exercet hæc via inquam, & compendiosior est, & facilior, & amplior ea quam dentes parant, prædicto Succo admittendo nequaquam idonea.

Porro dico, si succus iste Flavus ejusmodi esset qualem finxit Dominus Redi, hunc ori inditum, ac in ventriculum demissum, locis quos pertransit, & iis in quibus moram traheret, efficacie suæ notas aliquas esse impressurum, si præsertim salia quæpiam arsenicalia contineret, quæ proculdubio citissime se exfererent vel sapore vel effectibus; Intervim quicunque ex sapore de succo flavo judicium ferre intendent, vel eundem ingerere, nullam unquam malignitatem, intensam vel remissam deprehensi sunt, neque in ore neque in ventriculo, nec alia quavis parte.

Ex præcedentibus ergo colligo lin prædicto succo flavo nullam particulam latere à qua dissolutio aut coagulatio inducatur, vel vis ulla cuiquam corporis nostri substantiæ inferatur; Nec illi adscribendam qualitatem ullam manifestam vel occultam, ex qua colligi queat vim prædictam illi insitam esse.

His superaddo, nominatum succum, utut insipidum & salivarem, non minus insigni flavedine in quibusvis Galliæ locis indui quam in Italia, ac utrobique similes esse debere qualitates, aut saltem non absimiles.

Neque quicquam favet sententiæ Domini Redi si quis dixerit ex varie-

varietate locorum & climatum , aut forte alimentorum ; exoriri posse immutationem naturae Viperarum , ac inde deducendum manifestum discrimen quod h[ec] vel illa experimenta intercedit ; Etiam si enim diversitas quedam occurrere possit in aliis subjectis , in hoc tamen nullum invenire datur .

Etiam si porro discrimen aliquod forte dabitur , omnino impossibile est naturam succi flavi , ac spirituum , omnino permutari ; quandoquidem succus flavus in Gallia cunctas exhibit notas quas D. Redi nactus est & descripsit in succo flavo quem suppeditat Italia .

Ipsæ præterea nostrates Viperæ , nullo interveniente succo flavo , & que cito necant ac Italicae , Id quippe satis esse existimo si in succo flavo , aut spiritibus lacescitis , observari possit remissior quispiam gradus , aut intensior , in Gallia vel Italia .

Hoc enim ab infinitis experimentis mihi compertum est , cunctas Gallicas Viperas , utut diversis in locis captas , ac sepe totis ducentis milliaribus à se dissitis , veneno omnino simili pollere , parilique ratione interficere .

Ex quibus colligo impossibile esse discrimen , quod Italicas Viperas & Gallicas intercedit , alicujus esse momenti , quandoquidem Delphinalitus , Galliae Provincia , unde plurimæ educuntur , montibus distinctus est , non secus ac Italia , Pedemontio finitus est , Italiae principio ; eodemque in Delphinatu in ultimis ejus confiniis plurimæ gigantuntur Viperæ ; ac tandem cunctæ Viperæ , exinde advocandæ ; semper succo flavo admodum innoxio donatae sunt , et si intenso colore donato .

Id revera dico Viperarum quas ad perficienda mea experimenta in usum adduxi , tum priora , tum posteriora , maximam partem Delphinatum mihi suppeditasse , quas ideo cæteris prætuli quod ut plurimum illis maiores essent quas ex Pictaviensi agro arcessebam ; ac ex illis , ea quæ quinque priores columbos momordit , de quibus libro priore meorum experimentorum , illa præterea quæ morsu impetiit septem postremos columbos aut gallos gallinaceos , ex Delphinatu petita erat , quin & ex maximis quas comparare licet .

Nec è re fuisse dentem aliquem Viperinum , è capite evulsum usurpare , nedum cundem mica panis absterrisse , eo scopo ut enecaret quodpiam animal illud hoc coimpungendo , quandoquidem dentes , quorum comes est succus flavus , à capitibus mortuis divulsi , nequaquam damnum inferre valent ; quin nec viventium Viperatum , nisi concursus adfuerit spirituum effectorum : Sin quandoque abstergendi causa cunctum succum flavum vesicularum , usus sum modo mica panis , modo linteo tenui , id solummodo in Viperis viventibus

à me tentatum est, demonstratum videlicet necem à succo flavo nequam deducendam, sed à solis spiritibus lacefisis, mediante morsu intima corporis subeuntibus.

Neque etiam illud fingendum Viperam dum mordet lacerare, nisi forte à valida, & digitis facta dentium in aliquod animal impressione illico violenter abstraheretur, comprehendendo illam manibus; Non inquam, id statuendum Viperam proprio instinctu mordentem, insigne aliquod foramen relinquere, quod succo flavo viam patefaciat; alte enim tantum dentes demergit, quos illico retrahit, non minori negotio quam felis infixos unguis.

Neque præter duo exilia foramina quicquam deprehendere est, quæ à carne etiamnum retusa adparent, ac vix oculis distinguere daretur, nisi vel à morsu concitatus dolor, aut symptomata subsequi solita, aciem oculorum proprius admotorum efflagitarent.

Neque porro id unquam observatum fuit venenum parti demorsæ adhærere, aut vitium à partis necroſi aut gangræna quapiam succeden-te initium ducere: id enim si foret, venenum autem in limine subsi-steret, multo expugnatu facilius esset: Id quoque ab experimentorum numero mihi constat, nunquam venenum in loco per quem viam sibi fecit subsistere, sed citissime venas subire, sanguini commiscendum si potissimum per morsum liber satis comeatus patefactus fuerit.

Non me latet postmodum excitari verenda symptomata, morsum concomitari solita, ac tandem mortem induci si citissimum defuerit au-xilium; Unde liquido constat omnino requiri ut venenum ejusmodi in-dolis, na&ctum sit facultatem admodum penetrabilem, multum ab illa diversam quæ in succo flavo adparent, omni energia destituto ac mo-bilitate insigni.

Inutilem quoque is navaret operam qui suetu in loco demorso uteretur, ea spe fretus se succum flavum, qui subire nequiit, elicere posse; Etiam si vero id subsidij genus nequam improbem simili in casu, mihi plane perspectum est quod ab illo suetu expectandum sit, videlicet evocatio partis spirituum efferatorum, qui per morsus foramina viam na&cti erant: Id quoque mihi notum auxilium specificum ore adsumptum utilius multo fore.

Frustra aliquis mihi objiciat semen animalium, quod quanquam viscidum perpetuo perficit propagationem speciei propriæ; Idemque hic forte expectandum, ut scilicet succus flavus in locum demorsum vene-num deferat; Nam præterquam quod semen pars est purissima ac ma-xime omnium in animali elaborata, hoc præterea plurimis spiritibus turget; sed præterea necessarius est concursus plurimorum mediorum

tum

tum ad illius intromissionem , tum receptionem , tum & ad foetus formationem & perfectionem : Præterea enim requiritur insignis spirituum confluxus ex parte matris ; succus proportione respondens ac nutritioni illius ac incremento idoneus , sufficiens ad totius complementum.

At vero succus flavus , solummodo habendus est pro excremento , ex glandulis salivaribus expresso , ad quas è cerebro & partibus finitimi transmissus est , spiritibus autem cum orbus sit , ac quavis energetica vi , deficiant præterea viæ ad illius introductionem satis patentes , ac locus moræ idoneus.

Etiam si vero & introitus , & locus moræ commodus illi concederentur , multo amplius tempus requireretur quam semini , de quo verba feci : Sed posito requisito hoc tempore , cunctisque ante dictis circumstantiis , nunquam quicquam perfectum ab illo exspectandum est , sponte quippe interiret , nullo effectu observabili superstite.

Sin aliquis objiciat in prædicto succo flavo delitescere posse spiritus idoneos & naturæ illius congruos , ac proculdubio hos efficaciam veneno imprimere , quæ ipso mortuis tempore emergat , Ac vero illo è vesiculis educto , aëri autem exposito , spiritus illos evanescere , quamobrem omnis agendi vis intercidat .

Respondeo , prætermisis iis quæ fuse adulii illius innocentiam demonstraturus quomodounque usurpatus fuerit , ipsum Dom. Redi nunc renuere , sicuti jam ante innui , statuit enim succum flavum Viperarum mortuarum , imo jam à pluribus diebus , quin & exsiccatum , venenum tamen citra spirituum concursum inferre , cum vulneribus intromittitur .

Sed præterea ex plurimis experimentis mihi certo innotuit ad mortum mortem subsequi , nequaquam interveniente succo flavo , cum hic accurate abstersus fuit ; Præterea neminem latet id spiritibus innatum esse ut perpetuo motu agitantur , adhærescant , & ferantur ad partes quæ maxime illis turgescunt , potissimum sanguinem .

Est & hoc observandum spiritus , veneni deductores , non ejusdem esse indolis cum iis qui una cum sanguine animalis circumferri solent ; ipsos non uti hos illis adhærere , neutros vero affinitate aliqua conjungi cum succo flavo , qui merum est excrementum ; At vero spiritus , de quibus mihi sermo , eo ipso momento generari quo Vipera vindictæ iram concipit ; neque illis opus esse concursu succi adeo lenti & viscidi , nullomodo idonei qui comes illorum esse queat , vel dentium poros imperceptiles transmeare , quos soli dentes pervadere apti sunt , uti nec ullo modo viam nancisci per foramina à dentibus inflictæ .

Paucis, sciendum nequaquam insitum esse succo crasso, lento & viscido ut efficaciter agat, penetret ac rapido motu feratur ad partes corporis maxime dissitas; at solum substantiis spirituum naturam resipientibus innatum ut ultro citroque libere commeent, quod corporeis non concessum. Soli illi spiritus, ἐλαυνίων corporis œconomiam concutere valent; Ab iis circulatio sanguinis libera præpeditur, tonusque ejus destruitur: Ab illis spiritus tum animales tum naturales intricantur, excursa usque ad partes solitus inhibetur: hæc denique unica causa animali morsu afflito lethifera esse sole.

Si quis forte objiciat admodum difficile esse succum flavum adeo accurate exhaustire quin reliquæ illius aliquæ supersint, ac forte tantillam illius portionem demorsis locis inferri; Atque iterum hoc adversari sententia Domini Redi, ac ex prima suarum assertionum contrarium evinci? Respondeo glandulas salivares, etiamsi multiplices sint, minores tamen esse, ac nimis angustæ cavitatis quam ut sufficientem succi flavi copiam capere valeant; id vero solum à majoribus animalibus expectandum esse, majoribus glandulis salivaribus aliisque partibus crassioribus donatis, etiamsi vero justa & proportione respondens copia expectanda esset, id compertum esse volo impossibilitatem introductionis istius succi (præter illius innocentiam manifestam redditam) satis esse ad istius objectionis repulsionem.

Hoc tamen in gratiam Domini Redi dixero, apud me dubium non esse succum hunc flavum, utut salivaris naturæ & excrementiæ, suum salem volatilem proprium obtinere, non secus ac cæteras Viperæ partes, cunctas animalium partes, quin & cuncta horum excrements, ac proinde quidpiam spirituum indolem retinens continere: sed adde quod ejusmodi substantiæ, spiritibus donatae, nunquam maleficæ sunt, præterea nimiopere materiae intricatae sunt, ac intimius quam parens commixtae; neque effectus nonnisi seorsum edere idoneæ, id quod solum ab intensiori calore expectandum, ac in vasis in eam rem idoneis.

Statuo ergo, accedente artificis industria, ex succo isto flavo genuinum sal volatile erui posse, imo citra ullum additamentum, vel alterius materiae commixtionem: Nec argumenta deesse per quæ probare liceat ejusdem illum esse indolis cum cæteris Viperæ partibus; ac tantum abesse ut venenis accensendus sit, illorum efficacia instructus, quin potius idoneus statuendus & viribus pollens quibus superare valeat cuncta symptomata à morsu Viperino metuenda, à me adscripta solummodo spiritibus Viperæ efferatis.

Quandoquidem igitur à Domino Redi exsiccatus fuit, seorsumque reposi-

repositorum succu flavy ducentarum quinquaginta Viperarū , atq; illi nullo negotio majorē copiā comparare licet, Sal illud extrahiat, comprobatur ea quæ à me adducta sunt ; Sin labori parcere velit , quod graviora obstant negotia , sufficientem ad me transferri curet quantitatem, quam in illius gratiam lubentissime præparatus sum, non modo ea ratione demonstraturus succi illius innoxiam indolem , sed & beneficium inde emanaturum , quanquam latens.

Exspirationem quod attinet , aut anhelitum biliosum Viperæ quod spectat , quem suspicari forte quis poterit succo flavo conjungi , indeque hunc beneficam indolem sibi comparare , censeo fucum hic fieri , atque solum spiritus irritatos accusandos , constanter quippe afferro naturalem Viperæ anhelitum semper innoxium esse , utut biliosa statuatur , Nihil foetidum ex illius faucibus erumpere , uti neque ex cunctis illius intestinis , vel partibus excrementorum eductioni dicatis ; Viperas hac præsertim nota à Colubris discriminari , quod horum & excrements , & partes hæc excipientia foetidum exspirent odorem , graveolentiam corruptæ urinæ referentia , cum in Vipera nulla odoris insuavitas observabilis sit : Spiritus veneni delatores tota natura differre ab anhelitu è pulmōnibus prodeunte , Nulla adfinitate aut commercio conjungi cum humore bilioso , Hos solummodo ipso irritationis momento generationem obtainere : ac tandem omnino inutilem esse concursum succi flavi exrementitij & inutilis , quem perperam in scenam adducunt , in id solummodo utilem ut tueatur viam per quam spiritibus irritatis via facta fuit.

Ut vero amplius innotescat quam impossibilis sit anhelitus concursus , ac porto nihil unquam ad veneni naturam constituendam hunc conferre , hoc in testimonium prodeat experimentum , Caput Viperæ amputatum , pulmonibus destitutum , ac quovis cum felle commercio , è quo nullus omnino anhelitus emanare potest , imo succo flavo plane orbū , morsu tamen necem inferre quamdiu vita adhuc supereft , si laceratum fuerit , non secus ac mortuum Viperæ integræ & viventis.

Communicationem præterea objiciendam , quæ forte intersit succo flavo & felleæ vesicæ , ob caloris aliquam similitudinem , præterquam quod mea de his sententia Domini Redi menti admodum consona est ; ac ab utroque æqualiter comprobata est innocentia succi in cystide fellea contenti , & utique demonstratum nullum existere vas per quod succus iste flavy in gingivarum vesiculos deferri queat , è quo constituantur succus flavy ibi occurrentes , Ac tandem à nobis unanimi consensu impugnatost fuisse antiquorum errores circa fictitium hunc meatum.

Veritas eorum quæ in medium attuli nullo negotio manifesta fit lingua offerendo succum flavum felleum, qui intensi amaroris & summæ acrimonie esse deprehenditur, etiam si plane innoxius sit.

Id etiam apertius demonstrari potest dissectione facta unius aut plurium Viperarum, in quibus, ut neque in serpentibus, ac quibusvis aliis animalibus, ullum unquam observabile est vas bilem istam à vesicula fellis ad gingivas deferens, cum solummodo occurrant venæ & arteriæ vero sanguine refertæ; nec dubitandi ulla occasio superstes erit si lingua judex adfuerit, nihil enim præter sanguinis saporem solitum deprehendere dabitur.

Sed & præterea rei certitudo illuc prior futura est, si ad gustus testimoniorum referatur quicquid è corpore Viperæ prodit, cui caput absentum est, neque enim ullus amaror linguae obvius est, neque alius sapor præterquam sanguinis; Et porro, cum late demonstraverim succum flavum non aliunde quam ex glandulis salivaribus originem ducere, descriptionemque illius admodum accuratam tradiderim, superfluum existimo plura de hoc in medium afferre, quicquid de eo scripserint antiqui, quicquid Neoterici in adversum allaturi sint.

Jam ut transitus fiat ad spiritus Viperæ irritatos, quos veneni veram & unicam esse sedem constituo, nulla (ut existimo) impellente ratione, sententiam meam impugnat Dominus Redi, cum Viperæ imaginacionem ad partes concurrere assero, aut ideam vindictæ, ad generationem prædictorum spirituum.

Liceat huc inferre id quod ait *Helmontius* Libro cui titulus; *Tumulus Pestis*, Non modo ideam & phantasiam terroris produci in interiore Archeo hominis peste correpti, sed & Bufonem, cui cum homine (ex ipsius assertione) odium innatum est & perpetuum, cum se captum animadvertisse, ex pede posteriore alterutro suspensum, mortique proximum, terroris ideam & phantasiam concipere ex hominis conspectu, qui crebro oculis illius obvius fit, quem tanquam hostem capitalem habet: Addit præterea eandem ideam, aut terroris imaginationem, quam Bufo hiac ratione concepit, in ipso formare conceptus & qualitates, etiam à morte permanentes.

Idem præterea jubet ex illius cadavere, ubi extinctus est cum his terroris ideis, commixto partibus ex illo prodeuntibus, addita cera hac excipiente, effingi Trochiscos, qui vel interius adsumpti, vel gestati, vel admoti facultate polleant curandi, quin & à Peste præservandi, vi specifica mortificando & obtundendo terrorem quem hominis Archeus interior de hoc malo conceperat.

Quandoquidem hæc Helmontij sententia plurimorum eruditorum  
ac ju-

ac iudicio pollutum animis infedit, quinimo & illos induxit ad accuratam Bufonum præparationem, qualem docuit Tractatu prædicto, à me ipso susceptram desiderio plurimorum præstantissimorum Medicorum satisfacturo; plurimi præterea mihi noti sunt qui non levem fiduciam ejusmodi præparationi adhibeant, continuo secum prædictos Trochiscos, quaindi Pestis imminebat metus gestantes.

Ex mea opinione, generatio spirituum irritatorum, quos adscribo ideæ & vindictæ imaginationi à Vipera conceptæ, cum inique se tractari se animadvertisit, multo plausibilius excipienda est, ac multo dilucidius animo comprehenditur, sicuti & ingressus spirituum per foramina à dentibus inflicta, eo quod hæ apertiones non modo profundæ esse solent, sed etiam quia dentes, qui cavi sunt, infundibuli quasi vicem præstant ad immissionem horum spirituum morsus comitum, è quibus postmodum in corpore demorso emergunt stupendi vindictæ effectus, à Vipera conceptæ, irritatæ à perpresso malo.

Horum autem spirituum per cavos illos dentes eo prodiutor est, quod in unoquoque extremo dente conspicuum est foramen, quod quantumvis exiguum, oculorumque aciem fere effugiens, microscopij tamen auxilio obvium fit; id ipsum enim non ita pridem in oculos incurrit plurimorum qui conventibus publicis interfuerant, imo Domino Redi addicitionis.

Quid vero reposituri sunt quoad terroris imaginationem, & vim coactivam, ut ita dicam, quæ eidem Bufoni inest erga Mustelam, quæ ad conspectum abominandi istius animalis, si & ab eodem visa fuerit, certo anni tempore, sed perpetuo æstate, necessitate insita compellente, Bufonem ad aliquod tempus cursu circum ambit, quovis momento stridulam vocem emittens, quasi auxilium implorans dum animal illud hiante ore jacet immobile, sed hæc postmodum diu eluctata, tandem efficacia ejusdem phantasie fauces dicti Bufonis subire iisque se immergere cogitur.

Res extra omne dubium posita est; variis in Galliæ notis notissima, quam & propriis oculis olim videre licuit: Tum porro temporis à rite explorata, quæ me in admirationem pertrahebat, harum idearum eximia efficacia, tum à mustelæ phantasia manantium, tum à compellente necessitate ut Bufonis fauces subeat, meo satisfacturus desiderio eo ipso momento Bufonem interfeci, ac salutem mustelæ concessi, protinus aufugientem, libertati assertam ab extincto hoc animali, cuius interitum consequuta est extinctio earundem idearum, quibus adeo crudele in illius voluntatem concessum fuerat imperium.

Ejusmodi effectus nequaquam adscribendus videtur neque salivæ,

neque ulli parti Bufonis materiali, quandoquidem mustela hunc insito odio aversatur, illiusque fauces invita tantum subingreditur: Adde quod Bufonis saliva, quæ proculdubio, dum in ore illius versata est obvia fuit, inefficax omnino fuit, mustela quippe occiso animali fuga illico saluti suæ consuluit, Impellit ergo necessitas ut horum omnium causa in spiritibus disquiratur.

Quid vero oppositus est Dominus Redi exemplo canis rabidi, qui in perturbatione universali sensuum ac functionum solitarum, nihil aliud quam internectionem molitur, nihil aliud pensi habens quam ut cunctos obvios homines, quin & dominum proprium, necnon & cætra animalia sibi occurrentia morsu imperat ac ad idem infortunium adducat? Si cani huic rabido ipsis potestas easdem ideas, eandemque phantasiam, quæ ipsum male habet, transfundendi in animalia quæ morsu invadere potest, quinimo & ipsum hominem, et si alia omnino Anima & Natura præditum, etiamsi vel solam cutis superficiem attigerit extremis dentibus, imo & obstante vestium multiplicitate, salivam cohibere & abstergere idonea, quæ dentes inviscaret & in consortium criminis adduci potuisse, id quod tempestive admodum agnovit *Helmontius* eodem Tractatu? Si, inquam prædictus canis in se potestatem habet transferendi malum quo laborat in quodvis animalium genus, quod ex traduce propagati queat, imo in infinitum usque, ne una quidem excepta specie, Cor inquam, incredibile illi visum fuerit Viperam morsu suo transfundere posse spiritus suos irritatos in corpora hominum aut animalium sibi obviorum? Spiritus, adhuc, hos lethiferos esse posse animali morsum passo? Id ipsum vero perficere accidente conturbatione & corruptione quam universæ massæ sanguineæ inducunt, quandoquidem non obscure illius circulationem inhibitent, ac communicacione n & commeatum spirituum naturalium, ad cunctas corporis partes deferri solitorum? Cum præterea non tam longe deferantur ac iij quos ennitit Canis rabidus; cuncta quippe animalia ab illo demorsa, quovis veneno carent, communicari apto vel mediante morsu vel alia via quamdiu vita fruuntur; Imo etiamnum mortua illa impune contrestrare liceat, quin & in escam adducere.

Ad hæc dico, si verum fuerit hominem, qui quovis tempore eadem saliva iisdemque dentibus donatus est, qui neque acuri vel adunci sunt, aut sicuti in Vipera conformati, gangrenam tamen inferre posset, quin & mortem morsu accessere, per iram inflito; Etiamsi idem, imo minor morsus ab eodem homine nequaquam ira percito factus, nullum à se verendum symptomata relinquit, curationemque instar vulneris simplicis admittat, minime cuiquam mirum esse debere, neque impossibile

sibile Viperam , cui dentes longi & acuti , quæ irritationis suæ potestatem & efficaciam celeritate morsus demonstrat , si quando lacesta morsu aliquem invaserit , lethales effectus spirituum excandescencium exserere .

Quodnam vero judicium ferendum est de ictu Tarantulæ , utut levis fuerit ? An dixeris illum carere idea & imaginatione prædicti animalculi , quandoquidem adeo valida & tenax est hujus impressio , adeoque diversa in iis qui ab illo icti fuere , ut ipsi sensus & spiritus mirum quantum pervertantur , qui vel induant ejus īdolem mobilem & inquietam ; hinc ut certis temporibus & designatis ad tripudium continuum icti adigantur , imo plurium dierum spatio durabile : superstite autem ab ictu veluti fermento quodam pertinaci earundem idearum , iidem effectus quotannis redivivi fiunt , ac , si fides authoribus , quamdiu vita fruitur Tarantula , ac donec eadem idea per mortem illius extinctæ fuerint .

Etiamsi vero nequaquam dubitem quin Domino Redi perspecta sint plurima exempla eorum qui Tarantulæ ictum experti sunt , quandoquidem Italia horum animalculorum admodum ferox est , huc tamen illustrus sum exemplum cuiusdam militis Neapolitani , à quadrieanio pedestri militiae hic adscripti .

Miles hic , cui commilitones Tarentini cognomen indiderunt , quia à Tarantula ictus fuerat , hodierna adhuc die in legione Regia Ruscino-nensi conscriptus est : Hic quotannis , statis temporibus , videlicet circa vicesimam diem mensis Iulij , experiebatur effectus ictus antequam in Galliam se reciperet inficti , de tempore recidivæ præmonitus biduo vel triduo ante : Statim vero ac ictus idea ad illum gradum evectæ erant qui effectum inducere aptus esset , tripudium incipiebat , ac musicorum Organorum melodiam citra interruptionem expetebat , sumptus in illius gratiam facientibus Ducibus Castrenibus : Ad concentum saltabat indefinenter & numeros , citra defatigationem , & anhelitus resumptionem , idque toto triduo ; imo cibum & potum adsumens mensuris observatis ; summa anxietate occupante si musices interceptio contingeret vel uno momento ; idque vel maxime si intervallum diutius aliquanto protraheretur , lividus enim toto corpore fiebat , leipothymiisque crebris prehendebatur : In ipso tripudio gaudebat manibus enses versare nudos , quos identidem aliis immutabat : Speculorum præterea intuitus arridebat , inspecturus num lapida saltaret , Adstantium numerus gratus erat , quibus , ne se desererent , cheirothecas extorquebat , vitas vel alia obvia ; quæcumque arripuerat sollicite ad quartam usque diem adservans , quo tempore tripudij desiderium omnino evanescerat : Præteriorum omnium memor erat , quoscumque adstiterant agnoscebat , sigillatim

ac citra errorem unicuique restituens quæ surripuerat, etiamsi vel mille adfuissent spectaculo: Anni reliquum postmodum, ac totum inter paroxysmos spatium sine tripudij cupidine transfigebat: Nativæ indole taciturnus erat & melancholicus, obtusi ingenij, in tripudium nequam proclivis, vel natura idoneus qui id tamdiu produceret: militem hunc in anniversario hoc tripudio millenarij viderunt, præfertim anno proxime elapo 1670. in castris Regiis, quem & ipsa majestas Regia conspicere voluit, ac proinde Aulicus comitatus: Id quod in illius comodum tantopere cessit ut hoc anno à paroxysmo liber fuerit, cuius imminentis metus animi perturbationem insignem inferebat; quandoquidem eo tempore castra alio transferebantur, veritus quippe ne organa musica deficerent invadente affectu.

Cum porro istius animalis ictus, etiamsi minimus, non multum dissimilis illi quem infert exigua musca, non obstantibus intermediis tibialibus vel vestibus, non minus efficaciam suam exferit in corpus quam in animum illius qui ictum exceptit; tam diutinas & validas impressiones relinquit, ac tam verendos paroxysmos advocat, Cui causæ, quæso, diversi illi effectus adscribendi sunt, nunquid ideæ vel phantasie animalis ictum infligentis, aut illius qui ictus fuit?

Nulla compellit necessitas ut hic adducantur effectus ideæ, aut phantasie gravidarum mulierum, aut Iacobi ovium: Sat multa me dixisse arbitror ad constitutionem possibilitatis ideæ aut phantasie vindictæ in Vipera, ad formationem spirituum irritatorum, quo in id veneni efficacia omnino transferri queat, excluso plane succo flavo.

His positis, nequaquam mirabitur Dominus Redi, si cum Chimicæ arti addictus sim, quam etiamnum publice profiteor in Horto Regio; ac quotidie operam navem secretioni partium spirituosalium à corporeis, mixtorum anima carentium; cum porro deprehendere non valuerim in mixtis corporeis & sensibilibus genuinam causam productionum mirandarum & tanta celeritate præditarum, quæ in morsu Viperæ viventis & anima præditæ observantur, hanc spiritibus adscribendam crediderim: Illa probe perspecta, à Domini Redi partibus desciverim, ac publici juris fecerim id quod mihi hac de re exploratum fuit.

Neque tamen hoc multum me commovet, quod cum Domini Redi animum occupet præsentia rerum corporearum, sententiam suam pertinaciter tueatur; quandoquidem ratione habita præparacionum, quæ omnino subjacent arti quam profiteor, nec imperite, substantias spirituosas respuit, eas videlicet quæ illius palato non arrident,

materiales

materiales tantum & corporeas amplexatus , quæ minimi sunt momenti , minorique copia occurunt , attamen , ipso judice , præstantissimæ habendæ sunt , Quæ hac de re scripsit occurunt sub finem paginæ 76. ac initio paginæ 77. prioris observationum illius Epistolæ; hæc sunt verba.

*In queste mie naturali osservazioni ho conservato gran quantità di Vipere, facendone alla giornata uno strazio grandissimo , e per cavar, come si dice , il sottil del sottile , ho sempre messo da banda , e conservatte tutte le loro carni , e l'ossa , che seccate in forno e poscia al fuoco vivo con longo , e faticosissimo lavorio abbruciate , e ridotte in cenere , con acqua di fonte, riho lavato il sale e purificiolo, e ridottolo quas'in cristalli &c.*

Quibus cognitæ cunctæ partes è quibus corpus Viperæ constat , iij proculdubio in admirationem pertrahentur quod Virum subactissimi iudicij , ac tantæ eruditioñis , subterfugerit potissimum & præstantissimam Viperæ partem in sale volatili consistere ; ac idemmet Sal proculdubio auras petitum esse , ac omnimodo consumptum, iti à præparatione, aut potius destructione , quam molitus est Dom. Redi , Sal Viperinum educturus.

Iisdem conspicuum futurum est quando scopus illi fuit , sicuti inquit , subtile ex subtili elicere , contrarium omnino evenisse , ac subtile in fugam conjectisse , in nihilunque deduxisse volatile , & potissimum , crassius solum , fixum & quod minoris est momenti obtinendo : Idem quoque iudicium laturi sunt superevacaneum fuisse laborem ab ipso suscep- tum , atque negotium quod sibi peperit , fructum irritum & inanem percepturo : Ac sane satius ipsi fuisse silentio procedendi modum involvere quam in publicum emittere.

Via quam insit proculdubio antiquis adprobata fuisse , quos latebat cuncta animalia sale volatili abundare , paucissimum vero fixum nausta esse : Præparatio autem ab illo tradita , nequaquam ardua , dictis temporibus magis arrisisset , præsertim apud Italos , quam diurna illa & tardij plena Salis Viperini , tanto apparatu suscipi solita , de qua sententiam meam protuli , verba faciens de remediis è Vipera eductis.

Et hoc quoque præsentio non multum utilitatis redudare posse in Dominum Redi , quod sibi adscriperit primam detectionem & inventionem Glandularum Salivarium , à me repertarum in ambobus lateribus temporum Viperarum , tum marium tum fœminarum , & descriptarum , quarum etiam veram effigiem in Anatome mea Viperæ exhibui: Neque enim fidem facturus est illis qui lecturi sunt initium page 44. prioris Epistolæ observationum , in qua hæc habentur.

*Se non istimasi à vergogna scriver senz'altra riprova ciò, che mi passa per*

*la immaginazione; direi forse, che quel liquor giallo non per altra via mette capo nelle sopra nominate guaine de denti, che per quei condotti salivali nuovamente ritrovati dal celeberrimo Tomaso Vartono, & in questa corte da Lorenzo Bellini, giovane dotto, & di grandissima espettatione nostrati in altri animali fuori della specie dell' Uomo, e particolamente ne i cervi, e ne i picchi; oltre que sotto al fondo di quelle guaine vi sono due glandule da me in tutte le Vipere ritrovate: Non fate però capitale di questo mio pensiere, perche potrebbe essere una chimera, come chimera credo &c.*

Vix concipio quomodo Dominus Redi, postquam verba fecit de ductibus salivaribus, quasi de re quæ imaginationem tantum subibat, ac solum possibili, hoc est, nequaquam perspecta, ulti confitendo indecorum sibi futurum si de re quapiam conscripturus esset nondum explorata, amicum hortando, ad quem scribit, ne cogitatam tantum pro re ipsa accipiat, addens rem forte chimericam esse; quod vocabulum illico repetit: Vix, inquam, capio postquam hæc scripsit cur adsumat sibi gloriam inventionis Glandularum Salivarium, ac ductuum illarum comitum, addit enim paginis 55. & 56. prioris Epistolæ, de succo flavo verba faciens.

*E questo veleno altro non e, che quel liquore che imbratta il palato, e que stagna in quelle guaine che cuo prono i denti, non mandatovi dalla vesica del fiele, ma generato in tutto quanto il capo, e tranneffo forse alle guaine per alcuni condotti Salivali che forse metton capo in quelle.*

Ubi vocabulum, forte, bina vice repetitum, clare ostendit Dominum Redi de Ductibus Salivaribus verba facere tanquam de re dubia, nec dum sibi probe comperta: Etiamsi porro objiciat illos prius sibi quam mihi in mentem venisse (qui examini Viperarum tantummodo aliquot annis à concrispta priore ipsius epistola incubui,) Id quodà se cōscriptum occasionem & ansam porrexisse dictos ductus indagandi, ac glandulas succum flavum illuc deferentes, Opinionem sibi innatam generationis illius succi in toto capite, impulisse me ad disquisitionem glandularum Salivarium ulterius & altiori in loco quam inferiore fundi vesicularum, Nec demum dubium apud me sit quin ipsem in glandulas illas legitimas incidere potuisset, si disquisitionis tedium non respuisset, Quandoquidem operi manum non admovit, cur ipsi molestum est quod laborem, quem subterfugit; in me suscepimus, nec defuerit successus? Neque ullo jure ille negaturus est me primum repertorem fuisse, descripsisse, ac effigiem exhibuisse nativam ambarum Glandularum Conglomeraturum Viperæ, una cum omnibus adsitis vasis, tum generationi, tum delationi succi flavi in vesiculos majores dētes ambientes dicatis.

Ea quod attinet quæ de me Dominus Redi effert , personam inducens Auctorum quibus librum meum adscribit , à me verba *infra fundum* translata fuisse, & posita pro, *in fundo vesicularum gingivarum* , ac me frustra disquisivisse duas exiguae glandulas , quas asserit in cunctis Viperis à se repertas, Num verba Js solummodo lambit , ego rem manu teneo , idque ratum volo me accuratissima indagine non solum inquisivisse in totum vesicularum fundum , sed etiam ubique infra illarum fundum , neque tamen à me deprehensam fuisse ullam glandulam , neque magnam neque minimam , neque quicquam quod colore glandulam referret , vel ad illarum figuram quoquo modo accederet , sed solum minores dentes subsidiarios , de quibus memorato loco verba à me facta sunt.

Id vero plane adstruo nullam repertum iri glandulam neque in fundo neque *infra vesicularum fundum* ; atque *infra fundum* nihil aliud occurere præter os cartilagineum , quod rostro Viperino figuram conciliat, Duo extrema acuta amborum ossium prominentium cranij , cui ambo maiores dentes valide adnexi sunt: Odoratus meatum, Auditus, Venulam exilem, uti & Arteriolam, Nervulum, Musculi cujuspam extrellum , ac Duo extrema canalium Salivarium, in glandulas desinentium ; quæ sat aperte demonstrat anatomæ descriptio à me institutæ.

Postmodum autem Dominus Redi ipsemet ostendit impossibile esse ut laterent glandulæ *infra vesicularum fundum* , quandoquidem hæc habet pagina 38. posterioris Epistolæ.

*Ne i poteva mai scrivere que fossero collocate nel fondo delle guaine, se mi era immaginato , che il liquor giallo scorgasse in esse guaine dopo aver corso per i condotti salivali , che pur m'immaginava potessero aver' origine , ò connessione con quelle due glandule da me vedute , le quali perciò bisognava , che necessariamente fossero in situ un poco lontanetto dalle guaine , e non nel fondo di esse.*

Cum enim dicat rem se hoc modo percepisse, succum scilicet flavum cursum suum instituisse per meatus salivares antequam in vesiculos se exonerarent , non occurret illi via sat producta , neque distantia conveniens ut opus sit longis meatibus ab inferiori fundi parte usque ad vesicularum fundum , Opus enim fuisset solummodo exiguo foramine in eodem fundo ad excipiendum succum prodeuntem ex duabus exilibus glandulis de quibus ipsi sermo.

Ipsemet vero ostendit se non posse tueri existentiam exiguarum ambarum illarum glandularum *infra fundum* , quo loci jacere illas ait, quandoquidem nunc adstruit illarum situm in loco à vesiculis paulo re-

motiori, quo nancisci illi liceat in harum interstitio spatum conueniens vasis per quæ decurrere debet succus ille flavus.

Adde quod omnino fieri nequit ut duæ exiles glandulæ suppeditent quemcumque succum flavum quem exhibent vesiculæ, quandoquidem ambæ glandulæ conglomeratae, à me deprehensæ in duobus Temporum lateribus, ac pone orbitas oculorum Viperæ, vix unaquæque circiter guttam effundere potest intra viginti quatuor horarum spatum, postquam vesiculæ probe expressæ fuerunt.

Porro, nec hoc inconspicuum est ex iis quæ assert Dominus Redi priore Epistola, ipsum nequaquam constituisse Glandulas salivares, (quem revera situm obtinent,) in ambobus temporum lateribus, neque proxime cranium, quandoquidem assert id quod phantasia tantum concipiebat; videlicet caput Viperinum hunc flavum succum non nisi per ductus quosdam salivares transmittere; Si enim aliter sensisset, mentionem tantum glandularum injecisset, aut saltem sermonis initium ab his duxisset, antequam de meatibus verba faceret, Unde dilucide adparet ipsum ea ratione Naturæ ordinem fecisse pervertisse; Nam cum Glandularum situm juxta Cranium constituere debuisset, ac demum quem obtineant ductus Salivares ostendere, ab his enarrationis initium dicit, statuens eos immediate à cerebro succum illum deducere, ac in gingivarum vesiculas infundare; Ambas autem Glandulas, quas fingit, situm nactas esse inter extremitates horum ductuum ac vesicularum, fundum, etiamsi illæ omnino absint, ac præterea illarum præsentia plane inutilis foret, quippe cum illæ idoneæ sunt exsugendis & absorbendis humoribus cerebri circūitarumq; partiū ac in vesiculos gingivarum per tabulos illi officio dicatos transmittendi.

At vero vicissim cum Dominus Redi mihi succenseret, quasi fundum vesicularum dixerim, dicturas partem fundo illarum instramat, Linguæ Hetruscæ, sicuti ait, minus peritus, Id ipsum in eundem retorquere possum, videlicet non ut decet percepisse, nec rite explicavisse vocabula Gallica à me adducta, Cum dicat sub finem paginæ 35. & initio pag. 36. ejusdem posterioris Epistolæ.

*Sovra di che gli Autori delle novelle esperienze affermano, che tali glandule da me nominate egliano non l'anno mai potute vedere, ma che in lor vece nel anno trovate due altre, le quali appellano salivali, e scrivono di esse in così fatti sensi à carte 29.*

Neque enim in universa serie eorum quæ transcribere voluit ex meo Libro, quod ad hanc rem pertinet; neque quod reliquum sectionis à me conscriptæ de Glandulis salivaribus, legendo obvium habere potest q; od dixerim à me repertas duas glandulas, Glandulas revera dixi: qui enim

enim pure Gallice loquutus fuerit , discrimen insigne constituturus est inter has propositiones, *Duae Glandulae*, & simpliciter *Glandulae*.

. Cum porro in descriptione Glandularum , dico illas Situm nactas esse in ambobus Cranij lateribus, deinceps addo plurimas minimas adesse simul conjunctas , quas vocare liceat Conglomeratas, Ac postmodum *Glandularum congeriem* adduco , tantum abest ut de una vel altera Glandula verba fecerim, sicuti à Dom. Redi traditum.

Cum vero spe fretus, patrociniū ulterius causæ suæ nanciscendi postrema sua epistola unumquodque vocabulum sigillatim perstringere voluit, & solummodo eam libri mei partem excutere , in qua generice loquor, utpote sibi minimum adversa,in sectione nempe ubi de Glandulis salivaribus , Ostensurus ego Glandulas à me repertas multum discrepare, imo alias omnino esse à duabus minimis de quibus verba feci, Incumbere mihi necessitatem credidi ex meo libro exscribendi ea quæ patum sibi conducere ratus est, Eadem enim sectione , pagina 30. de Glandulis Salivaribus sic dissero.

“ Glandulæ hæ in quovis Viperino Capite occurrunt, tum in mare tum “in fœmina; Situm leviter in utroque latere, ac juxta cranium , in parte “postica uniuscujusq; orbitæ, eandem altitudinem cum oculo servantes: “Plurimæ simul deprehēduntur conjunctæ, quas Glandulas Conglome- “ratae recte dixeris , ex forma & colore sat manifestas, quo discrepant à “vicinis musculis, ex quorum numero unus occurrit, qui Temporalis vo- “cabulo indigitari potest , illas ex parte extremo suo contegens.

“ Glandularum illa congeries inibi obvia fuit magnitudine oculi proximi; ac in longitudinem exorrecta: intra orbitam progreditur , infra “ac partim retro oculum: Unaquaque Glandula exili suo vase Lym- “phatico donata fuit , inde originem , tanquam ex exigua papilla du- “cens , succum in se contentum exonerans in aliud vas, sed amplius, “quod per longitudinem harum Glandularum , at infra decurrit, desi- “nens in gingivæ vesiculam , medium articulum radicis majoris dentis “pertingens, una cum cantho orbitæ producōtio, & ossiculo quod altero “extremo medio maxillæ superioris coarticulatur.

“ Præcipuum hoc vas, solitarium perpensum , specie quidem admo- “dum exiguum est, sed quod revera quasi magnum quid in considera- “tionem venire debet, quandoquidem in id confluent cuncta exilia va- “sa ex unaquaque Glandula emissæ ; onus deponens in vesiculam gin- “givarum , & ad eas transferens succum illum salivarem , viribus forte “affinem & qualitatibus hominis Salivæ , aut plurium animalium.

“ Nervus in narcs qualitatem suam Auditricem deferens, per aliquod

“spatium secundum has glandulas decurrit; cujus etiam comites sunt, si-  
“cuti ante dixi; exiguæ venæ & arteriolæ.

“ Probe autem perpenfa substantia , qualitatibus & situ harum Glandularum , existimatū fruſtra non fuſſe illas conditas , ſed in eum verofimiliter uſum ut humiditates tum Cerebri tum Oculorum, partiumque vicinarum exciperent: Hanc vero ope illarum factam excretionem admodum utilem eſſe , quinimo & omnino neceſſariam partibus hos liquores excipientibus, tum humectandi gratia majorum dentium ligamenta , illaque flexilitati idonea reddenda quando Vipera morsuſ ſe accingit; Tum irrorandi, & incrementum dentibus præbendi, quibus Natura ſitum dedit , collocans in medio hoc ſucco.

“ Præterea ſeorsum examine factō utriusque , glandularum & ſucci, ex ſapore judicio factō , à nobis idem omnino animadversus cum gingivarum ſucco, à Dom. Rede deſcripto, plurimum nempe ad eum accedens quem exhibet oleum amygdalarum dulcium, omnino amaritudinis expers , etiamsi deinceps levis acrimonie ſenſus in ore ſuperficies ſit, qualis ut plurimum in quavis ſaliva occurrit.

Possem hic addere ea quæ attuli de Glandulis ſe livatibus Colubrorum , qua in re à Viperinis diſſideant, atque huc inferre opinionem conceptam me primum utique illarum fuſſe repertorem ; At cum prolixior repetitio tedium forte illatura eſſet ; ij porro qui dilucidationem ampliorem expetierint, repetere id queant ex reliqua Libri mei ſectione à me notata, exſcribendi labore ſupersedebo.

Interim nemini ex sermonis mei decurſu obſcurum futurum eſt , ab accurata prædictarum Glandularum deſcriptione à me tradita, ac partium finitimarum , illas non phantasix tantum partem eſſe: Situs illarum admodum diſſitus à parte inferiori, quin & lateribus fundi veficularum gingivarum , aperte oſtendit illas neque ſitas eſſe nel fondo , neque ſotto ad fondo earundemmet Veficularum, ſicuti Domino Redi viſum fuit: Inſignis vero illarum numerus manifestum facit alias omnino eſſe à duabus exiguis Glandulis de quibus verba facit , quæ etiam omnino viſum effugient.

Lectorem rogo accurate perpendat eās quæ à me compertæ ſunt, quarum effigiem exhibit Tabula tertia , Tum in regione Temporum capit is abſecti , notati C, in qua illarum figura & ſitus ad vivum depinguntur, cuiusmodi adparent antequam exemptæ fuerint, Tum intra ambitum ſceleti Vipерini , eadem Tabula depiēti , quo loco eadē exhibeo quoad faciem tum anteriorem tam posteriorem , ē capite eductas, ac mediantibus propriis ligamentis poſtica oculorum parti corporibus cerebri adnexas.

Accuratam illarum notitiam, prægresso non levi labore, adeptus sum, sedulaque & patienti disquisitione: Nec mihi satis fuit diuturna scrutatio in fundo & infra fundum vesicularum gingivarum, sed ut mihi obvia fierent istæ glandulæ, cute spoliavi & dissecui infinita Vipera-rum capita, industria & levi manu; nec quicquam à me prætermis-sum ad restam disquisitionem; quinimo plurima capita in pauca aqua leviter elixari curavi, tum ut mihi manifestæ fierent variæ Cranij suturæ, tum ut rite cunctæ partes ab invicem diducerentur, sed & potissimum ut conspicua evaderet forma & connexio harum glandularum, quo integras illas & illaceras eximere liceret, connexas adhuc oculis & variis cerebri corporibus, quibus medulla spinalis adhæret; Tum etiam ut postremæ hæ partes integræ in potestatem meam venirent, cu-jusmodi depingi curavi.

Hi labores, studia, curæ, quæ felix exceptit successus, proculdubio Domini Redi animum invidia liberare debent, ac invitus ille concedat necesse est me primum repertorem fuisse glandularum istatum saliva-rium, una cum vasis illis adnexis; De me enim judicium ferre debet, nequaquam invido animo ergo ipsum me teneri ob plurimas res elegan-tissimas ab ipso compertas, aut quas in posterum comperturus est, animum curiosum ulterius provchens.

Hoc unicum, credo, supereft, ut Domino Redi satisfactum eam, tum quoad fluctuantem animum circa vim & potestatem salis volati-lis Viperini, ad curationem morsuum à Vipera infictorum, tum quoad instantias ab ipso allatas adversus mea experimenta de capite & collo Viperæ in curatione canum ab ea demorsorum; quæ etiamnum non inefficacia credidi ad curationem hominum ejusmodi veneno infe-ctorum.

Quoad facultatem & vires salis volatilis Viperini, nihil aliud oppo-nit & requirit quam inducias sibi concedi ad præparationem Chymi-cam istius Salis, ac tempus quo experiri liceat illius facultates.

Afferit vero se non semel periculum fecisse capitis & colli Viperini, ac se animadvertisse, primo, Quod cum in antecessum obtrusisset duobus canibus è magnorum genere, unicuique caput & collum unius Vi-peræ, ac postmodum illos exposuisset dentibus duarum aliarum Vipera-rum, nequaquam interemptos fuisse: Cum similiter duos alios canes magnos mordendos curavisset, qui neque caput neque collum Vipera-rum deglutierant, nec illos quoque mortuos fuisse.

Addit deinceps, cum pullo gallinaceo ingerendum dedisset caput unum Viperinum, duo autem capon, ac rabiei Viperæ exposuisset, utrumque paulo post mortuum fuisse.

Ait etiam cum postridie adaptari curasset capita Viperina , illa per vim in gulam duorum catellorum intrusisse ; minimo autem femur juxta inguen demorsum fuisse , alterius autem linguam , utrumque vero obiisse.

Se idem experimentum tentasse tradit in octo pullis gallinaceis , duobus felibus junioribus , duobus cuniculis parvis , ac sex columbis , nec non loco demorsu affricando Sanguinem Viperinum . Quinimo sex dictos columbos mortu impetitos fuisse à capitibus Viperarum ante plures dies occisarum , cuncta vero animalia demorsa extincta fuisse.

Ac tandem se duos columbos toto triduo aliisque carne & juscule Viperarum , qui postmodum demorsi eodem modo interierint hoc irrito auxilio.

Prædictis omnibus experimentis oppono easdem responsiones genericas quas Dominus Redi adduxit mea repulsurus , quæ occurruunt pagina 16. posterioris illius Epistolæ , quando inquit Viperam minori negotio necare morsu exigua animalia quam majora ; Mortem citius aut tardius subsequi pro magnitudine aut parvitate animalis demorsi , ac prout locus affectus plus aut minus venis vel arteriis gaudet : Si plurimus Sanguis ex loco ictu effluxerit , animal nequaquam mori , imo neque gravia Symptoma suboriri ; Imo nonnunquam fieri ut id lethum evadat , quanquam molesta accidentia supervenerint eaque lethifera , id quod soli Naturæ robori adscribendum sit.

Quod ambas alias propositiones universales spectat , ab ipso allatas de immissione succi flavi , eas huc inferendas esse non credidi , tum quia illi plane ad sensum non præbeo quoad rei possibilitatem , ac alio loco hac de re quid sentiam proposui , tum quod ad rem præsentem nihil faciunt ;

Satius vero & tempestivius existimo huc adduxisse duas alias universales propositiones , ac illas opposuisse iis quas infert Dominus Redi , statuendo Morsum magis aut minus periculosem esse , non modo proportione loci morsu afflicti , sed etiam majoris aut minoris Viperæ exandescientia quando morsum inflxit , ac prout dentes altius aut magis superficiarie partem subierint .

Atque ut singulatim hæc attingam experimenta , dico ; Canes , quos commorderi curaveram , unumquemque terna vice , fanationem vero adepti sunt deglutito capite & collo Viperino , è mediocrius fuisse genere , imo infra mediocre : Admodum difficile esse certi quid constitueret in maximis , quos ad experimenta adhibuit Dominus Redi ; neque in iis qui caput & collum Viperinum absorperant , neque in iis quibus

quibus exhibita non fuere, 3. Cuncta alia minora animalia quæ in usum adduxit, videlicet pullum gallinaceum, caponem; columbos, pullos gallinaceos, catulos minores, feles ac cuniculos, ex se satis validum robur non obtinuisse quo ad aliquod temporis spatium spiritibus irritatis obsistere velerent, ac fructum ex remedio perciperent, illum præsertim cui lingua commorsa fuit.

Illud enim apud me ratum nullum animal, grande vel parvum, si à Vipera in iram graviter percita morsu in lingua impetum fuerit, mortem effugere posse, quodcumque demum auxilium præsto fuerit, ratione nempe nervorum, venarum & arteriarum quibus lingua prædita est; ac demum quia spiritus excandescentes viam patentem & liberam naëti pro viribus effectus exerunt, tanta vehementia, celerique efficacia, ut nullibi subsidium quærendum sit.

At vero in quovis morsu, curationem non respuente, nunquam non ad auxilium configio, sperandum ex capite, collo, corde, jecore, imo plurimis aliis partibus ex Vipera petitis, ea præsertim quæ morsum inflxit; ad curationem scilicet animalium quibus sufficiens suppetit robur, quo ad tempus veneni efficaciaz obsistere valeant, ac præstolari hujus remedij effectum.

Imo neque ipsum hominem ex hoc censu excludendum crediderim, si præ cæteris in usum ducantur partes ejusdem Viperæ; quæ mormodit potius quam alterius Viperæ, major quippe sympathia & consensus cum spiritibus irritatis, qui exinde prodierunt, adesse debet.

Quam in rem non absolum fuerit enarrasse id quod accidit in Elaboratorio Regio Parisiensi, dum postremis meis experimentis incumbet.

Juvenis admodum eruditus, perfectionem utriusque artis Pharmaceuticæ ambiens, sed præsertim cursum meum Chymicum sestatuſ, adstabat mihi in maximo cœtu medius, die secunda qua suscepta sunt mea Experimenta; Nonnullis præmissis, dum de his colloquor, me imitatus, sed inscius, manu Viperam apprehendere satagit, ac caput complecti, nequaquam adhibitis cautionibus requisitis, nam laxius Viperam detinens hæc se retrorquet, ac profunde alterum è majoribus dentibus circa medium partis superioris digiti indicis sinistri imprimit.

Id cum à me animadversum fuisset, primo timorem ex animo excutere adlaboravi, ac ut auxilia necessaria admitteret hortatus sum; Cum multam adhiberet fidem iis quæ tanquam vera adstruuo libro meo, qui illi saepius perleetus fuerat, sponte dixit, si modo necessarium indicarem, deglutiturum se caput & collum Viperæ à qua ictus fuerat; Animos addens ad auxilium propero, carbonibus enim imposita caput & collum,

superficie tosta, calentia dentibus attrivit & deglutiit, teste universo conventu: Exhibui præterea cor & jecur codem modo tosta, quæ nec respuit.

Postmodum afferui cuncta hæc restitutioni in integrum satis forte futura, at vero quo certior effectus prodiret, non inutile fore si præterea sal Viperinum volatile adsumeret, ne quid intentatum relinqueretur ac prætermitteretur simili in casu, securitatis majoris gratia; cum præfertim res mihi esset cum juvete mihi charissimo, cuius valetudinem prosperam pro virili semper procurabo.

Illico ergo illi exhibui quinquaginta circiter grana salis illius volatilis, in quatuor aquæ unciis diluti, securum postmodum esse jubens: Juvenis conventui nequaquam valedixit, neque ante exiit quam dimisus fuisset cœtus, sed solummodo captandæ liberioris auras gratia. Postmodum duas circiter horas impendit tum in Horto Regio, tum in Elaboratorio, quo temporis spatio levis cardialgia sed fugax, accidit.

Cum vero ædes repetiisset, & mensæ accumbere paratus esset, de more, inhibui, satius esse dicens assumeret iterum dozin salis prædicti volatilis, id quod præstitit tam fausto eventu, ut postridie, à largiori prandio, conventum sicuti pridie adierit, mirantibus quotquot testes fuerant morsus inflicti, Ab eo tempore prospera semper usus est sanitate.

Etiamsi porro morsus profunditas major adpareret quam in Nobili Germano, prima die qua Experimenta mea inchoavi commorso, nulla tamen verenda ut in illo emersere symptomata, à me descripta libro meo; nullus quippe alius vexavit dolor quam qui à morsu excitatus, immo neque ulla successit febris: E vulnere tantum guttae aliquot sanguinis extillavere, beneficio nempe ligaturæ à me in summa digitæ parte factæ, qui nequaquam intumuit, eodemque modo curatus est ac si acicula compunctus fuisset, nullo adparente cicatricis vestigio, nedum gangrena, aut eschara, quas plurimi subsequutas metuebant.

Res cum in vulnus abierit, insigni testium numero comprobata, nemini in dubium venire debet, neque ipsi Domino Redi; cui potius admirationis causa exhibetur, quod omnium simul concursus factus fuerit, ut veritas rerum quæ libro meo traditæ sunt in apertam lucem veniret, quarum partem inficiatus est, de aliis suspensum tenere voluit iudicium.

Si tamen arcana illi essent remedia & efficaciora & tutiora, ad curationem morsuum Viperinorum plurimum, omnes illi debebunt si publici juris fecerit, lubentissime autem ex animo experta à me remedia expono.

Verba hic facturus non sum de variis circa Viperam experimentis, à peritissimis quibusdam Lutetiae suscepatis, non modo ab omni criminе succum flavum vesicularum gingivarum liberantibus: sed & eodem tempore (quæ mea est sententia) venenum spiritibus irritatis ascribentibus. Fidem majorem illorum ore prodeuntia conciliatura sunt, mihi vero utiliora quam si ipsem in vulgus emitterem: Plurima enim curiosorum animos expletia ibi occurunt, majoris apud illos efficaciam quam si à me exirent: Sed nec quicquam detrahi volo gloriae ipsis debitorum, neque mihi adsumere gratiarum actiones illi referendas.

Sermoni huic fidem impositurus, cum Domino Redi in universo corpore Viperæ veneni nullum aliud occurrat subiectum quam succus flavus; quandoquidem, quod mearum erat partium, comprobavi recentia mea experimenta, ac ipsius votis satisfecit, sufficienterque innocentiam succi flavi Viperarum Gallicarum tuitus sum; Insignis analogia quæ illi intercedere debet cum succo flavo Viperarum Italicarum, ac verisimilitudo manifesta à solis spiritibus irritatis deducendam esse mortem morsum subsequentem, Tandem cum Viperæ Gallicæ æque cito interficiant, nec dissimili ratione qua Italicae, nequaquam concurrēt succo flavo, Censo Dominum Redi operæ pretium facturum, si, quod illius est officii, expectationi publicæ satisfacturus, dimisso omnino succo flavo (cujus patrocinium deserere cogitatur) studio adhibito incubuerit disquisitioni cuiusdam novi subiecti quod non minus conveniat Viperis Italicis quam Gallicis; in quo eadem adsit materiæ dispositio, eadem agendi efficacia & celeritas, ac cui revera competit titulus genuinæ sedis Veneni Viperini, unde postmodum non immrito spiritus efferratos à scena excludere possit, eadem ratione qua succum flavum illinc arceo: Sin vice versa contingat nullum ipsi occurrere veneni domicilium, vix credo in posterum locum dari ut opinioni conceptæ porro insistat, ut nec meam ulterius convellat.

Dissertationi huic valedicturus dicam, opinioneum dissensum inter me & Dominum Redi in rebus maxime essentialibus, venenum Viperinum spectantibus, iterum observari posse in eodem dicto animali; Quo enim magis ab hoc abhorrese se afferit, illudque aversari, uti apparet pag. 39. posterioris ipsius Epistolæ, Eo contra magis me illud estimare, amplecti, ac libere contrectare, explorare, præparare profiteor. Nec enim pro meritis offerre queo præstantiam qualitatum & virium quibus à Natura donatum fuit istud animal, uti nec remedia ad miraculum extollenda, quæ ex illo deduci solent: quibus rebus

Nec forsitan Dominus Redi judicaturus est sermonem ( qualis iste est ) inexcultum , & incomptum , inter fornaces & carbones conceputum , quorum præsentiam ab aliquo tempore familiarem habui, aliunde quam à me proficiisci: Proculdubio judicium latus est si peritiores manum calamo admovissent, & argumenta argutiora allata fore, & climatum magis stylum ac comptiora verba: citationes porro Graecas & Latinas nequaquam defuturas , tum ad robur argumentorum , tum ad voluminis complementum & ornatum.

At vero etiamsi inter me & Dominum Redi dissensus fuerit, natus ex opinionum varietate , immensa tamen illius merita semper exultus sum , procul ab omni invidia & præjudicio ; vel eo maxime nomine quod Librum à me editum non omnino illi improbatum video, quippe qui in manus venerit Viri & oculatissimi & celeberrimi , qui dignatus sit paginas integras ex eo, totidemque verbis, exscribere, eundem & legere & perlegere, eidemque responso emiso celebritatem conciliare, maximam sane , quod vir acuti ingenii , fama super æthera notus, ipse met manum operi admovevit: Eapropter admodum glorior ac plurimum me illi eo nomine debere confiteor.

Etiamsi porro futurum esset ut experimentorum varietas , robur argumentorum ab eo allatorum , vel fama quam inter eruditos occupavit apud omnes prævalerent , Victoria quæ ipsum maneret non minus in me redundaret quam si experimentorum meorum veritas, quam fulciunt rationes à me allatae , æquipondium dedisset , aut forte etiam sententiam & scripta Viri adeo illustris superasset.

R E M E D I A  
E  
V I P E R A  
D E S U M P T A.

ЛІБЕРІА  
ВІДОВИХ  
СІМІЙ



# REMEDIA EVIPERA DESUMPTA.

*DE VARIO DELECTV PARTIVM  
Corporis Viperæ.*

## CAPUT I.

**I**N Universa rerum Natura nihil occurrit cui potiori jure alimenti simul & medicamenti titulus adsignari queat quam Vipera ; quandoquidem æque optimum nutrimentum præbere potest & prestantissima medicamenta. Revera in toto illius corpore nullam invenire est partem quæ non undequaque utilitatem præstet , è qua artifices utile quidpiam non eliciant : Potissimum autem inter illas discriminem in hoc situm est , quod una pars alia compactior vel laxior est.

Attamen sicuti in cunctis animalium corporibus invenire est partes quasdam aliis præstantiores, eadem quoque distinctio inter Viperæ partes observari potest , si præsertim in escam venire debeant ; aut in pulvri deduci, ore postea adsumendo seorsum aut aliis medicamentis commista.

Simili in casu solum Cor , Jecur & Truncus usurpanda erunt , Corpus scilicet interaneis liberatum , capite & cauda truncatis.

Neque tamen existimandum ab assumptis Capite & Cauda discriminis quidpiam imminere , quod in illis noxiū quidpiam latitet , quo cæteræ corporis partes immunes sint ; At vero electio fit Cordis , Jecoris & Trunci , utpote præstantissimarum partium , quæ & præsertim in usum veniant ex iis animalibus quæ in pabulum hominis cedunt.

Illis porro qui carne Viperina, cocta & adparata tanquam alimento uti voluerint, licet inter edendum ossa separare & relinquere; Sin eadem dentibus attererent, & una cum carne deglutirent, prouidubio simile, quinimo validius carne nutrimentum suppeditatura essent; A nobis enim dilucide in distillatione ostensum ossa eandem quam carnes de se promere substantiam, imo & uberiori copia.

Iisdem de causis à trunco ossa divellenda non sunt, in præparatione Pulveris Viperini, vel eo præsertim nomine quod eo pacto facilius corpus subeant.

Potest & commodissime adparari caro Viperina cum propria pinguedine, non secus ac si adjiceretur butyrum aut pinguedo aliorum animalium; Quinimo & cutis ipsa, si ita visum fuerit, coqui potest & utiliter esitari, at fastidium citius cæteris partibus præcipuis à me modo memoratis pareret.

Præparationes Chymicas quod attinet, nulla non Viperæ pars in usum advocari potest, quinimo neque ipsum ventriculum, neque intestina, modo rite mundata sint à vermis aliisque excrementis seclusa velim;

Neque præterea præstantiæ discrimen aliquod affert sexus distinctio, etiamsi maxima Auctorum pars solas foeminas in usum duxerint; quin potius mares illis prætulerim si ova alvo gestaverint, eaque grandia, illo quippe tempore nimiopere exhaustæ sunt, ovorum generationi & incremento omnia concedentes.

Quoad anni Tempestates, venationi illarum & usurpationi idoneas, ver & autumnus æqualiter mihi arrident; Usurpationis enim tempus potissimum perpendendum ab iis qui illas alimenti vice adsumpturi sunt.

Accurata vero debet esse diligentia in electione Viperarum grandiorum, obesarum, vividarum & agilium; captas diutius quam par est non adservando, quotidie enim macilentæ sunt & strigosæ præmœrore, tum alimenti defectu quod incareratæ respuunt.

Neque præterea discrimen statuo inter Gallicas; quas hæc vel illa Provincia suppeditat majoris aut minoris æstimans, Piæstavienses enim iis quas profert Delphinatus nequaquam inferiores sunt, aut quas mittit Lugdunensis ager vel alia quæpiam regio.

Locus ratione tantum copiæ in considerationem venire debet, vel ob illas comparandi facilitatem, nec enim in locis maritimis occurunt, qui soli ab Auctoribus improbati fuere, ratis carnem Viperarum, dictis in locis captarum, sicut inducere, ratione videlicet falsi alimenti quo utantur.

## DE VSV PARTIVM VIPERAE

*Sive in Alimentum venire debeant, Sive Medicamentum.*

## C A P U T I I .

**I**NTER Authores qui de Vipera scripsere plurimi asserunt in variis opibus regionibus non paucos, quin & nationes integras Viperis tanquam alimento usas esse, imo & hodie in escam admitti, adeo ut in conviviis magnatum etiam sumptuosis, illæ tanquam ferculum exquisitum & suavissimum venerint.

Necnon occurunt qui in exemplum adduxere populos usū carnis Viperinæ animas diutius producentes, quin & ad CXL. annum; vivaces: Inutile esset hoc testimonium Antiquorum eam in rem attulisse, curiosorum est Authores evolvere: Id solum satis nobis est asseruisse plurimis, variis in regionibus, usum earum familiarem esse; sive veteri de more, sive appetitui indulturis; sive ex consilio eruditorum Medicorum, qui si ex arte præscriperint inde insignes prodeant fructus.

Neque etiamnum apud me dubium quin usus crebrior apud nos foret si Viperæ dotes probe essent perspectæ, ac ex plerorumque animis excuti posset terror & antipathia naturalis adversus hoc animal: Sapor enim carnis Viperinæ plurimum ad cum quem Anguilla exhibit accedit; quamobrem quibusdam in regionibus Viperæ Anguillarum montanatum nomine donantur, imo in illis quam in his sapor gratius arriet; Nonnullos novi quibus cum perspectæ essent intime Anguillæ partes, animi gratia, cum aliis convivis, grata illis epulæ fuere, ac palato mire arriserunt.

At qui id genus edulij respuant & aversantur, iis media commoda occurunt per quæ viribus frui possunt, neque tamen horrorem concipere qui fastidium pariat: Licet enim caponibus, gallinis, & pullis gallinaceis carnem Viperinam escam præbere, per tenuia frustra divisam, quæ nequaquam respuant ejusmodi animalia, quin avide ingestura sunt: producto vero aliquandiu ejusmodi nutrimento, proculdubio facultas Viperina in corpora prædictorum animalium migratura est, quæ non secus ac alios capones esitare licet, gallinas aut pullos gallinaceos, quorum sapor palato gratiior futurus est, quod ipsa caro Viperina sapida sit.

Neque præterea dubium quin Viperæ dotes & qualitates in corpora

ejusmodi animalium commigraturæ sint, quandoquidem sexcenta alia prostant, quorum caro non modo refert vires sed etiamnum saporem rerum quæ in alimentum venere: Caro avium baccis juniperiis vescientium, Earum item quas solæ olivæ alunt, non modo nutrimenti qualitatibus prædita est, sed etiam sapore & amarore donata est, adeo aliquando intense ut vix edulis sit.

Iis in regionibus ubi Bombyces aluntur, observare est quo tempore educantur, mensibus scilicet Maio & Junio, ova à gallinis exclusa, Bombyces hos existantibus, saporem illorum & odorem exhibere, non secus ac earundem carnem: quo fit ut qui delicatiori sunt palato Gallinas seorsum nutritri curent & aliud nutrimentum præberi.

Hanc in rem observare licet morem usitatum exhibendi Nutrici media quæ infantes admittere nolunt, quo vis illorum è corpore Nutriciae in aluminum commigret: Cum & non raro adnotatum fuerit infantis lotium odore infectum esse medicaminum quæ nutrix usurpaverit.

Forsitan quis sibi fingat in animalia commeare non posse utiles partes rerum ingestarum, quin simul & semel pravarum, una concurrentium impressiones remaneant: Imo quis non inepit objiciat lacertas, scorpiones, cantharides, aliaque animalia quæ Viperæ præda sunt, illius corpori inurere debere pravas qualitates sibi insitas, ac inter cetera cantharides vim causticam qua donantur.

At vero cum experientia testimonium nobis præbeat innocuum esse corpus Viperæ (his non obstantibus) idemque præstantibus dotibus præditum esse, argumentum inde contrarium elicetur, prædictæ opinioni adversarium, inde enim constat ventriculum animalium in probum succum transmutare, ac subigere omnes improbas qualitates latentes in rebus quas excipit & admittit, illas concoquendo, utiles autem qualitates assimilare & convertere in propriâ substantiam animalis à quo fuere deglutitæ, quo fit ut propemodum hoc aliam induat formam, aut saltem maximam partem probarum illarum qualitatum sibi adsumat, ac eximie idoneum fiat illis in alia animalia transferendis quorum ventriculum subit, in eo concoctionem adepturum.

Addimus præterea plurima prostare exempla rerum, quæ hominis ventriculum subingressæ lethiferæ essent, nihilominus in pabulum cedunt quorundam animalium, quinimo illa impinguant, hæc demum salubre alimentum homini præbent, Ejusmodi sunt helleborus & cicuta coturnicibus & capris in alimentum venientia, imo pinguefacientia, deinceps commodum alimentum homini suppeditantia; id quod à Luretio optime observatum, sic canente,

*Præterea nobis veratrum est acre venenum ;  
At capris adipes & coturniculus auget,  
Quippe videre licet pingue scere sepe cicuta,  
Barbygeras pecudes homini quæ est acre venenum.*

Illi autem qui nequaquam à carne Viperina abhorrebunt, adsumant, cor, hepar & truncum, quæ probe abluta, ut sapient varie adparati curabunt.

Caveant tamen illi ne additione aromatum calorem intensiorem carni concilient, à pipere præsertim abstinendo; tantillum tamen herbae cuiuspiam aromaticæ inspergere licet, cujusmodi sunt thymus, fennillum, & similes; vel pauxillum nuscis moschatæ aut cinnamomi, saporis solum exaltandi gratia.

Declinandus etiam est antiquorum error, Viperas flagellantium & in iram impellentium antequam necarent, ne ab hac irritatione improba quædam qualitas corpori illarum inuratur, cui nullum plane insitum est venenum.

Neque etiamnum juscum cui incoctæ sunt Viperæ abjiciendum, cum in id virium maxima pars transfusa sit.

Nec præterea perspecta est mihi ratio ob quam quantitati limites præscribendi sint, vel usurpandi tempori; id enim ex mali gravitate deducendum, corporis adsumentis constitutione, ac eorum temperamento qui id genus remedij admissui sunt.

Etiamsi porro Viperam medicamentum eximiæ efficaciæ esse norim, quæ in usum præsertim veniat ob partes medicamenti vi imbutas, nihilominus tanquam si alimentum adsumpta fuerit, nullum à carnis illius esu imminet periculum, vel ab haustu juscum pauciori aut majori quantitate sumpti.

Modica quoque salis aspersio requiritur, quibus vero sal Viperinum fixum suppeteret, id commode iij in usum ducerent: Posset & volatile usurpari, si major efficacia ab esu carnis Viperinæ expetenda sit.

Vires carnis Viperinæ quod attinet, ex relatione sexcentorum Authorum, quorum sententiam fulciunt ratio, veritas & plurimæ experimenta comprobant, insignes illas esse audemus assertere, neque in tota rerum Natura ullum reperiiri animal quod tot tantasque suppeditet: Neque admiratio nos tenet quod antiqui in suis Hieroglyphicis toties Viperam depinxerint, ac variis temporibus numismata Vipera insigni-

ta cuderint, designaturi rem in publicum commodum cessuram & pri-  
vatum, ex hoc animali proculdubio sperandam.

Ex Viperæ quippe usū caloris nativi conservatio, intra mediocritatis terminos expectanda est, illius si à norma abierit reparatio & restitutio in integrum, præstantissimum illa præbet alimentum, concoctionem promovet ope caloris qui justo intensior non est; senectam removet vitam producendo, insita vi universis corporis habitus & probam corporis constitutionem fovendo; Quo fit ut plurimi existimaverint Cervos, non feras ac Aquilas, ab instinctu naturali, Viperas obvias deglutire, indeque deducendam esse causam prolixioris illorum animalium vitæ.

Adscribitus præterea, nec immerito, Viperæ vis Innovativa, ac (si ita dicere licet) juventutem revocandi, quam occulte demonstrat, eo quod quotannis repetitis vicibus pellem exuit, seipsam innovando, recenti inducta cute.

Hac conjuncta partibus subtilibus, ex quibus constat Vipera, ac ejus intuitu vivido & intrepido, testimonium perhibent non abs re ab Authoribus adsignatam illi fuisse vim oxydorcicam & visus roborigracem.

Inest etiam illi vis omnino singularis universum corpus expurgandi, ac potissimum massam sanguineam; expellendi ac per poros cutaneos ejiciendi cuncta supervacanea; quamobrem inferre licet admodum utili esse curationi cujusvis Scabiei, Impétiginis, Herpetis, Erysipelas, Morbillorum, Variolarum, quinimo & Lepræ si productior illius fuetit usus.

Nequæ tamen assensum præbeo historiæ à Galeno allatae, dicenti vi-  
num in quo unica Vipera fuerat suffocata sufficiens fuisse sanationi af-  
fectus, qui generosiorum remediorum usum eluit.

Ex Vipera etiam, dissipatis quibusvis impuritatibus, excussisque quæ-  
cunque habitum corporis & cutem inquinant, expectanda decoratio &  
pulchritudo corporis: Eapropter non paucæ matronæ Italicæ Viperis tanquam familiari cibo utuntur.

Phthisicis eximum auxilium affert; sanguineæ massæ puritatem con-  
ciliando, ac cunctis partibus, spiritibusque libere functiones solitas ob-  
eundi libertatem, ut & facile commeandi concedendo: utilis etiam est  
iis quibus diuturnitas morbi alicujus squalorem & marcorem corpori  
induxit, aut quos febres lentæ ad sumimam maciem deduxere.

Neque etiam desunt autores nonnulli qui afferunt ab illius usu mor-  
bum Venereum superari & extingui posse; cui rei non parum conducere  
adsentior, etiamsi forte omnimoda curatio sperabilis non sit.

Vis illius expurgatoria, alexiteriæ conjuncta, aptitudinem illi imper-  
titur

titur eximiam è corpore quodcunque Veneni genus eliminandi , quinimo & ipsam Pestem, ac cunctos morbos contagiosos & epidemicos.

Reluctatur etiam cuivis putredini , ut plurimum origini & somiti plerorumque morborum ; quo sit ut illius usui affueti affectibus illis obnoxij non sint, nisi vita genus enorme adfuerit , à quo commodum è Vipera expectandum destruatur.

Plurima alia affectionum genera, quos carnis esus abolere potest , recensere primum esset , sed supervacaneum id esse existimavi , quandoquidem virtutes generales à me enumeratae satis esse queunt , usum defletendo ad plures affectus speciales quibus conducere potest ; Capite nihilominus proxime sequenti traditurus sum usus & facultates partium Viperæ , tanquam alimentum usurpatarum , citra majorem adparatum.

## DE VIRIBVS PLVRIMARVM PARTIVM

*Vipera , Nec non de usu illarum Medico.*

### CAPUT III.

**V**IRES QUAS CARO VIPERINA IMPERTIRE IDONEA EST IIS QUI HANC UT ALIMENTUM ADSUMUNT , PROCVLDUBIO IN CONSIDERATIONEM ADDUCI DEBENT , AT PRÆTEREA ALIA DOTES ILLI CONCESSÆ SUNT ; FED NE QUICQUAM SUPERFLUUM HUC INFERATUR , PRÆCIPUAS TANTUM ATTINGAM , QUARUM MAXIMAM PARTEM EXPERIMENTO COMPROBATAM HABEMUS.

Hoc compertissimum est Caput Viperinum, leviter tostum & deglutitum , morsui ab eadem inficto mederi : A parte corporis, vel trunci, corde & hepate , idem effectus expectandus est: Experientia & Ratione ducibus hoc ipsum nobis innotuit , quare casu aliquo urgente utilissime praedita in usum adduci possunt.

Admotio Sanguinis Viperæ morsui ab ipsa facta , ac Capitis contriti omnino contemptim haberi non debent , uti neque interaneorum applicatio ; atvero his exterius admotis fidendum non est , neque sanitas integra ab iis sperabilis est: tenuitas scilicet, subtilitas & velocitas spirituum cum venenum ad interiora citissime deducant , remedia interna specifica adjicienda sunt quæ ab intro ad extra id repellant: Imo commodissime reiterari potest adsumptio & deglutitio capitis, cordis, hepatis , aliarumque Viperæ partium , nullo metu ne nimia quantitas sit noxia , nullum enim ab his partibus imminet detrimentum , utilium effectuum perpetuo authoribus.

Adversus etiam quodvis veneni genus præsentaneo sunt auxilio, dum-

modo mature ingesta fuerint , sive interius adsumptum id fuerit , sive ab extra communicatura , ut & cunctos affectus epidemios & contagiosos.

Plurimi Authores perhibent caput Viperinum collo adpensum facultate specifica donatum esse Anginam curandi , cunctosque Faucium affectus: Cerebrum autem pellicula quapiam involutum , de collo etiam pendulum , maxime conferre infantium dentitioni , Dentiumque eruptioni : Alij eundem effectum adscribunt grandioribus Viperæ dentibus , Assensum daturi essemus si res experimento nobis esset comperita : at vero cum hæc remedia euporista sint & facile parabilia , à quibus nihil noxæ metuendum , periculum illorum faciat qui voluerit.

Nonnulli præterea tradidere Jecur Viperinum ingestum arcere à morsu tum Viperam tum quodvis serpentis genus , ac pulverem Viperinum idem præstare posse ; Non tamen illorum animalium ferociæ , ut quis se exponat , fidem dictis adhibens , authores sumus : Id solum ratum habemus Jecur deglutitum morsum Viperæ persanare posse , Cor itidem , ejusdem Carnem , ac cæteras partes quas ante attigimus ; sed præterea conducere facilitati partus mulierum , uti & anguilatrum jecur.

Pellis Viperina viribus cassa non est , nam adde quod partum miliebrem admodum juvare creditur , si femori dextro circumligata fuerit , singulati omnino facultate prædicta est adversus omnes morbos cutaneos : Etiamsi cæteræ partes comedæ eundem effectum præstare valeant , nihilominus tamen , ne quid intentatum abiret à nobis experientio compertum canum vetus tam scabiem perfecte sanare , coctam vel crudam devorandam illis obtrudendo : Ex signatura etiam conjecture licet maculas , quibus consita est pellis Viperina , infectiones à scabie impressas in cute designare , aut si vis etiam Lepram , à squamis evidenter demonstratas , tacite virtutem illarum innuentes .

Crediderunt nonnulli Fel Viperinum admotum morsui mederi , at id fidem nostram superat , sicuti & id quod ferunt de capite contrito ; at conducere solummodo existimamus vulneri permorsum inflito non securus ac cæteris vulneribus , quippe cui insignis sit vis detergendi , expurgandi & ad cicatricem deducendi .

Non parum etiam confert idem Fel Viperinum affectibus Oculorum , præsertim suffusionibus ac maculis , tantum abest ut noceat interius usurpatum , aut exterius admotum .

Pinguedo Viperina insignibus dotibus pollet , nam præterquam quod admodum idonea est in condimentis carnis , esui destinata , sicuti jam ante præmonuimus ; non parvam etiam opem fert drachmæ unius pondi .

pondere adsumpta in morbis epidemicis , venenum propulsando.

Eadem quoque admodum idonea est in partu muliebri faciliter redendo , ac dissipandis Tumoribus fauces obſidentibus , exterius inunctione facta : Podagricis etiam non leve auxilium præbet , articulorum nodos emolliendo & discutiendo.

Quosvis Tumores duros & vetustos resolvit & dissipat , quinimo & illos qui soboles sunt huis venerex; Eapropter *Ioannes de Vigo* illam commiscuit Emplastro quod nomine proprio insignivit.

Valet etiam ad Ambusta , Pustulas cunctosque affectus cutaneos , ac tandem mire opitulatur Nervorum affectibus , & membris Paralyſi tentatis , imo etiam Suffusionibus.

Possem & plurimas alias facultates hoc inferre , quas Authores cæteris Viperæ partibus adscripsere , sed illas silentio involvo , quod experientia confirmare non licuerit.

## DE PVLVERE ET TROCHIS CIS Viperinis.

### CAPUT IV.

**N**on quotidie occurunt quibus eſis carnis Viperinæ omnino conducat ; Ii porro quibus conferre potest non semper in eum propensi sunt , Adeo ut omnino necessarium sit in promptu habuisse remedia cito , tuto & jucunde effectum depromentia in ægri gratiam.

Insignes Viperæ virtutes cum Medicis nequaquam ignotæ fuerint , præterea cum non semper liceat ægri captui ſe adcommicare , ideo in eo adlaborarunt Medici ut varias præparationes nancisci liceret , circa quas antiqui non parum aberrarunt ; Sin illorum methodo infistere voluerimus in præparatione Pulveris & Trochiscorum , proculdubio vis Viperæ præcipua elaberetur nobisque excideret , ſola inutili ſuperftite.

Rati enim hi in carne Viperina perpetuo ſupererfe venenum , id beneficio cuiuspiam dextræ præparationis eliminandum cenuere , Viperam ideo vafi ſiſtili inclufere , luto id circumduxere , poſtmodum Furno commifere ab exempto pane , inibi dereliquentes donec caro Viperina in pulverem deducta fuerit.

Ea autem in præparatione pars carnis optima Salis volatilis domicilium in auras diſcedit.

Plurima etiamnum remedia ex hoc pulvere concinnavere, cōmixto aliis medicamentis, variisque formis donavere, quas recensere inutile esset, satis quippe nobis erit hic proposuisse unicam præparatiōnem Salis Viperini, rationi innixam, in qua videlicet omnes Viperæ facultates concludentur, paratu facillimam nec ægris incommodam.

Exeunte Aprili; aut inchoante Maio, assume Viperarum, marium & foeminarum, quantum placuerit; elegantur magnæ, crassæ & agiles; dimissis foeminis quarum ova in magnitudinem increvere, demum selectæ modo sequenti adparentur.

Dimissa flagellatione, & quacunque irritatione, forcibus amputentur Caput & Cauda; interanea quævis eximantur, seorsum repositis Cordibus & Jecoribus, Pinguedinem ad usus recondendo; Eluantur Trunci, Corda, & Hepata aqua limpida, postmodum vino albo, demum linteo mundo abstergeantur; Cordibus autem & Jecoribus suo trunco redditis, cui facile cohærebunt, colligentur singuli trunci filo crassiori in extremo, ac demum extra radios Solares aëri penduli expellantur, inibi relinquendi donec plane exsiccati fuerint, id quod tridui aut quadruplū spatio futurum est: deinceps in exigua frustula dividantur hi trunci, ac in majori mortario æneo contundantur, pistillo ferre, cuncta per incerniculum densius trajiciantur, ad usus futuros recondenda.

Genuinus hic est Pulvis Viperinus, in quo cunctæ Viperæ partes latent, cui guttulas aliquot olei cinnamomi adjicere licet ad odoris gratiam.

Nonnulli hunc Pulverem præparaturi, dissecandos præcepere in frusta trunco Viperarum, una cum Cordibus & Jecoribus cucurbitæ vitæ immittendos; hanc superposito capitello cooperiri, luto obduci, demum una cum Recipiente Balneo Mariæ moderato imponi; hinc ope ignis toto triduo producti elici phlegma Viperarum, cuius comes futura sit quæpiam portio Salis volatilis, seorsum adservato hoc liquore; Id postea quod ex cucurbita eductum fuerit in Pulverem conteri, quem Viperini pulveris nomine donant.

Sed præterquam quod Methodus hæc tedium patit, ac Maris Balnei ignis insufiens est Salis volatilis quantitati debitæ pellendæ, cum nondum à subiecto suo id liberatum est; attamen justo validior si sit, cum aliter nequeat fieri quin insensibiliter aliquals portio ejus abscedat, in Pulvere postmodum desiderabilis, quinimo dissipabilis, & ab aqua sedere prona, quæ neque semper cum Pulvere exhiberi potest; adde quod Viperæ intra cucurbitam nimiam exsiccationem contrahere possunt, quinimo & ex parte torreficeri: Ideo censemus non immerito

præparationem nostram huic anteferendam, quippe quæ & facilior est, & citra ullam destructionem, aut alterationem inducta in partibus Viperæ utilibus, quicquid illi humidi supervacanci inest absunit.

Isti tamen methodo ex parte insistere licet, si Aquam Viperinam optimam quispiam sibi comparare voluerit, at vero tunc ignis Balnei intensior esse deberet, distillationem breviori multo tempore perficiendo, interim sedulo cavendo ne ignis sub finem intensior fiat, ne Aqua empyreuma contrahat; Deinceps necesse est eductas partes Viperæ, in cucurbita residuas, Retortæ vitreæ, rite luto obductæ indere; hanc Forno Reverberii imponere, Recipiens probe luto munitum accurate conjungere, accenso igne per gradus adausto, sub finem intensiore redditio, eliciendi gratia salis, spiritus & olei volatilium, quæ beneficio ignis Balnei sursum evehî nequeunt, secernendorum & rectificandorum, sicuti in serie ostensuri sumus.

Tum portio salis hujus volatilis, probe rectificati adsumenda, in aqua distillata diluenda, sedulo in lagena vitrea, accurate obturanda, recondenda, utpote remedium præstantissimum; cuius dozis major aut minor esse poterit pro conditione adsumentium, ac pro re nata, & indigentia, & prout plus aut minus salis volatilis inditum fuerit.

Articulum hunc quod attinet, è re esse credidi illos admonere qui distillationi subjiciunt Capones aut Perdices, segmina carnis Vitulinæ, aut alias Animalium partes, in Alembico vitreo, sicuti in more positum est; ad id vero operis adhibent ignem Mariae Balnei, vel Cinerum, aut Afenæ, hos opè ignis moderati fere nihil aliud elicere posse quam phlegma inutile; qui cum intensior reddi nequeat quin Aqua prolixta empyreuma redoleat, illos multo meliorem successum experturos si hac in re procederent sicuti modo innui de eductione aquæ & salis volatilis Viperini; ac præterea si comitem adjungerent aquæ distillatione prolectæ sal volatile animalium distillationi expositorum, in quo potissima virtus sita est.

Qui hunc laborem, subterfugiant, satius multo abstinebunt ab usu aquarum stillatitarum nequaquam illas ægris porrigendo; sicuti in more positum est, quandoquidem nullis viribus præditæ sunt, omni efficacia destitutæ, nisi hanc à sale volatili animalis contraxerint.

Trochiscos quod spectat, perperam etiam ab antiquis excogitati sunt, nec magis industriam sapient quam Pulvis: Ut enim missam hic faciam flagellationem (de qua alias) ipsis familiarem, non modo pla-

ne inutilem, sed etiam noxiam, Paucis dicam, Decoctionem ab ipsis institutam corporis Viperini, in aqua cum sale & anetho, quoque caro ab ossibus abscederet, postmodum una cum juscule abjiciendi, Preparationis carnis Viperæ nomine indignam esse, è quin potius destructionis voce indigitandam, quandoquidem in jusculem potissimum facultatem deponebat; quod ulterius vires, additione inutili panis, infringerentur, cuius quintæ partis adjectio fiebat ad quater tantum carnis, quæ proportio etsi minima adpareat, medium tamen partem constituebat, quandoquidem quatuor unciaæ istius carnis, cum uncia autem panis (qui adeo aridus imponitur, ut ponderi illius nihil decadat) binas tantum Trochiscorum uncias efficiunt quando arefacti sunt.

Hac fusijs Tractatu meo de Theriacâ deduxi; cum vero error illorum manifestus sit, amplius hic excutiendus non est; uti nec argumenta illorum ad examen deducenda cur elixatione utantur, emendantur malignitatem carnis fictitiam; ac ab ossibus hanc liberatur, quæ, illorum ex sententia, improba erant, aut saltem inutilia, attamen præstantissima sunt; Illorum rationes prædicto tractatu sufficenter improbatæ sunt, sed amplius per ea quæ hoc libro à nobis enarrata sunt.

Etiamsi porro non semper necesse sit Trochiscos Viperinos præparare, siquidem illis carere facile est, cum nihilominus utiles esse queant, & ut nominis fama superstes sit.

Accipiatur tantillum gummi Arabici, albissimi & purissimi, conteratur hoc in pulverem, infundatur in vino optimo malvatico, ad dissolutionem integrum, vinum autem sufficienter imbutum sit: Accedat postmodum Pulvis Viperinus præparatus ratione ante dicta; contundatur & commisceatur sufficienti quantitati vini istius malvatici gummi, in mortario marmoreo, pistillo ligneo; cuncta in pastam solidiusculam deducantur, ex qua effingantur Trochisci, magnitudinis & figuræ pro arbitrio, in umbra exsiccandi cribro impositi.

Innui supra Trochiscorum horum præparationem non esse necessariam; si enim paratus fuerit Pulvis, ex qua concinnantur, in omnes usus hunc venire posse, Eo vero vitio Pulvis laborat quod diutinam ad servationem non admittat, si præsertim vas quo continetur accurate obturatum non fuerit; quinimo artificio quodam præcavenda est vermiculorum generatio, cum Trochisci hoc nomine commendandi veniant, quod compacteriores redditi ab addito vino malvatico, ac constringione partium pulveris, illos non ita cito aër pervadat, ac proinde in corruptionem tardius deducantur.

Vsus tum Pulveris tum Trochiscorum æque præstantissimus est, at  
Tro.

Trochisci usus tempore in pulverem conterendi sunt: neutrorum sapor est ingratus, donatorum omnibus facultatibus quas carni Viperinæ ad-signavimus, cui nihil aliud decessit ab exsiccatione extra radios solares facta, quam humor supervacaneus, qui superstes corruptionis author fuisset.

Exhiberi possunt ex aquis cardiacis, jusculis, vino, aut decocto quopiam idoneo; vel in bolos deduci additis syrupis, conservisaut confectionibus cordialibus; vel concinnari cum saccharo tabellæ.

Præcipua illorum dotes sunt expurgatio, referatio, penetratio, ad ambitum corporis expulsio cujusvis veneni, humoris corrupti, supervacanei; ac commodiissime in usum adduci possunt ad infinitos morbos, nullo improsperi eventus metu: Illis enim singulare, quod perpetuo juvent, nunquam noceant; Dosis est à scrupulo uno ad drachmam unam aut duas: Cuivis ætati convenient, sexui, quovis tempore.

## *DE SALE VIPERINO ANTIQVORVM.*

### CAPUT V.

**I**n ter quamplurimas præparationes Salis Viperini ab antiquis traditas, in illorum monumentis repertas, omnium celeberrima illa est, quæ creberrimo fuit in usu, insigni plurimorum remediorum congerie adaucta, Salis Theriacalis titulo donata.

Ab examine autem instituto fastosæ istius præparationis, mirum ne-quaquam nobis visum fuit quod Authoris cuiusdam celeberrimi adplausum non meruerit, quandoquidem juxta artis regulas & methodum, uti nec cæteræ, concinnata fuit: Prædicti authoris super hac re judicium, subactissimum, in adsensum omnino nos pertrahit; A Calcinatio-ne enim omnium ingredientium solum sal fixum superstes erat, paucif-simis viribus præditum: In Viperis quippe, sicuti in omnibus animalibus, paucissimum reperire est sal fixum, cum vice versa plurimo vola-tili turgeant, citissime à calcinatione exaltando, quo cum simul vis præcipua ac maxime essentialis animalis abripiatur.

Malo quoque consilio quatuor assuebant Viperas, additis 40. libris salis marini, aut gemmei, sicuti quibusdam visum, adjecto simplicium medicamentorum insigni numero, comburebant; opinione freti his salibus & carbonibus non exiguum fieri virium accessionem: A cal-cinatione enim suscepta in vase fictili luto obducto, operculo suo muni-to, quibusdam tamen in locis perforato, sal volatile quatuor prædicta-

rum Viperarum in auras citissime discedebat: quod quamvis superstes fuisset (id quod nequaquam concedimus) ac semi uncia illius adfuisset (quæ quantitas excedit id quod quatuor maximæ Viperæ suppeditare valent) quid hoc ad quadraginta salis libras, ac plurimas carbonum libras? rivulus est Oceano commixtus; Sal fixum quod attinet, ex quatuor Viperis semiscrupulus vix expectandus.

Illud quoque ratum Salia, tum marinum, tum gemmeum à calcinatione nequaquam consumi sed semper superesse: At vero si sal Ammoniacum usurpatum fuerit vulgare, pars salina urinosa & volatilis, qua sal istud constat, proculdubio in auras discessura est, non secus ac sal volatile quatuor Viperarum, sola superstite parte salina fixa salis Ammoniaci; nonnullis partibus terrestribus commixta, illa scilicet quæ in distillatione obvia est, postquam quicquid salis volatilis inerat impulsum & eductum est; è qua postmodum, mutato vase & ignis gradu, elicimus spiritum acidum, illi non absimilem quem è sale marino mediis prope iisdem abstrahimus.

Artificibus quoque non ignotum herbas, ligna, ejusmodiq; materias, si illarum calcinatio suscepta fuerit in vase fideili luto obducto, & cooperato, etiamsi operculum foraminibus quibusdam pervium sit, perpetuo forma carbonis nigerrimi occurtere, quantūvis vehementem ignem experta fuerint: Neque sal hinc abstrahi posse quin iterata accedat calcinatio in vase referato, Postmodum facta incineratione non difficilem fore salis separationem, instituta elixivatione & filtratione.

Hanc in rem adduci potest exemplum calcinationis imperfectæ, quam Natura ipsa in terræ visceribus perficit, circa Solstictium æstivum, in extremitate radicis nonnullarum plantarum, ac nominatim Artemisiae & Plantaginis; quo in extremo, ignis internus subterraneus; aut, si mavis, ignis à Sole transmissus, efficacia sua, etiamsi terra circumdet & ambiat (quæ erga radicem idem præstat quod vas fideile luto obductum erga Viperas & alia mixta una cum his conclusa) id extremum comburit ac in carbones transmutat, at nunquam incinerationem inducit: Non semel id à me experimento comprobatum est, quippe obvius fuit exiguus carbo in extrema radice harum plantarum, tempore à me superius designato.

Hinc, etiamsi sal fixum simplicium additorum carboni intersit, satius proculdubio fuisset, ac artis regulis magis consonum, hos carbones omnino calcinasse ac in cineres deduxisse; ex his abstraxisse sal, ac depurasse ad usus necessarios, quam partem crassam, terrestrem ac inutilem horum carbonum præbuuisse.

Prædicti tamen Antiqui sali huic calcinato putatitio, addidere pulvrem

rem plurimorum simplicium alexipharmacorum, quæ cum uistione nequaquam destrui valeat, hæc transfundit potest ac commicare in sal, quinimo & solitaria illa simplicia maximam partem utiliū suarum qualitatum illi suppeditare valent: Atque ab his præcipue id sal Theriacalis denominationem deducere potest; id quod perperam Viperis adscribendum foret, quandoquidem per calcinationem potissima illarum virtus periit.

Hæc salis Theriacalis preparatio manifestum facit priscos illos Autores studium non adhibuisse in disquirendis partibus internis è quibus mixta condita sunt, neque rite perspectam fuisse illis naturam veneni Viperini, veritis veneni impressionem à fumo ex calcinatione exhalante, etiamsi nullum metuendum esset, quandoquidem nullum Viperæ inest, sicuti à me demonstratum: Etiamsi vero odor, tum è Viperis, tum è simplicibus emissus quamdiu combustio peragitur, molestus sit, nihil tamen venenosum subest.

Cum notitiam antiquorum dictorum effugerit natura Salium quibus Vipera donata est, hinc errorem maximum illi erravere, calcinationi videlicet subjicientes Viperarum ossa, ex iis verum sal Viperinum educere conati, in cuius possessionem nequaquam venire illis licebat, quippe quod per calcinationem in nihilum deduxerant.

Primus hic error in alium deduxit; Paucissimum enim sal fixum cum naclii essent, ac spe excidissent, nonnulli quibus neque honos neque probitas curæ est, eo nequitæ devenere ut ossibus illis calcinatis copiam non parvam salis marini adjecerint, hoc diluerint, ac plurimæ aquæ commixta simul coixerint, filtrarint, coagularint; fictitium hoc sal pro genuino Viperino immodico pretio vendentes.

In illorum vero gratiam qui æquiori feruntur animo, ac probitati studentes disquirunt Sal gratum quod in usus quotidianos venire queat, exhibitus sum rationem adparandi Sal Viperinum, eximiarum virium, cuius præparandi ratio facilis erit, usus vero commodissimus.

Accipiantur triginta sex Viperæ maximæ, selectissimæ, quibus cauda & caput amputentur, cute spolientur, exenterentur, ac truncus à visceribus liberetur; hic probe eluatur, una cum corde & hepate: hæc simul decoquantur in aquæ Pintis vel sextariis decem, donec omnia perfectum coctionem adepta sint: colentur deinceps ac exprimantur partes Viperæ, quæ proculdubio maxima virium parte spoliata occurrit, quam in juscum transfuderunt: In hac decoctione disolvantur salis marini libræ quatuor, hæc demum accurate filtretur, coaguletur, crystallisetur, si libuerit, istud sal, quod album occurret, imprægnatum plurima Viperarum virtute insuavis saporis expers, in usum advocabundum non secus ac sal vulgare.

Hoc vero indicium erit partes elixatas & expressas maximam virium partem decoctioni communicasse , neque tamen omnino hanc exuisse, ac tantillum superesse, præsertim in ossibus , Quod si incerniculo hæ instratae fuerint, exsiccatæ, ac ex Retorta distillatæ, abstrahere licebit, præsertim ex ossibus, sal volatile & oleum, at vero minori copia quam si prægressa non esset distillatio.

Quod si quis experat sal Viperinum pluribus præditum virtutibus, cui Theriacalis cognomen imponere licet , eadem esse debet quæ prius processus ratio , sed dimisso sale marino, adjicienda esset æqualis quantitas salis educti è plantis alexipharmacæ vi & theriacali donatis , cujusmodi sunt radices Valerianæ, Imperatoriaæ, Angelicæ, Mei ; Folia Scordij , Centaurij minoris, Cardui benedicti , ac similium ; Hoc sal revera priori insuavius est sed vires præ illo singulares & eximias obtinet, in usus extraordinarios adducendus.

Hujusmodi salia viribus quidem prædita sunt , diutino usui accommoda , prius præsertim , at in sale volatili eximum quid & singulare latet; Insignes sunt illius dotes & proprietates , ac quasi in compendio præstantissimæ Viperæ qualitates absconditæ latent : De illius præparatione mox verba facturi sumus , ac insimul de Phlegmate , Spiritu communiter sic dicto, & Oleo volatilibus, illius comitibus, ut & de sale fixo , in Retorta restibili , terrestribus partibus commixto ; De viribus & usu postmodum acturi.

---

*DE SALE VOLATILI VIPERÆ, DE EISDEM  
Sale Fixo , ac aliis partibus distillationis bene-  
ficio Separabilibus.*

C A P U T V I .

**P**ublici juris hic facimus præparationem nostram Salis volatilis Viperini , eo lubentius quod hoc inter elegantissima & præstantissima artis medicæ præsidia reponamus: Nonnulli revera Authores hic jam propalaverunt , sed nemo prior accuratius descripsit ; mihi quippe in votis fuit ut unusquisque sibi comparare possit , juxta hanc methodum, remedium quod plurima alia efficacia supereret , ut ne quid amplius addam : Spe ducimur futurum ut sincera nostra procedendi methodus omnibus grata sit & accepta ; Sin cuiquam non arrideat , iis soli qui suorum alias participes fieri ægre ferunt; vel arcani voce aut mysterijs involvunt.

Accipiantur solum Trunci, Corda & Hepata Viperarū, vel si omnia in usum venire velis, adjungantur capita, caudæ, cutis, ac in genere cunctæ Viperarum partes; è quibus sedulo eximantur omnia excrementa & lumbrici, sicuti & ova, quæ foeminarum uterus gestare solet: Minoræ æque ac majores Viperæ, mares ac foeminæ cujusdem sunt præstantiæ, uti & sal ex omnibus corporis partibus extractum.

Seorsum in umbra exsiccati cura cunctas illas partes, frustillatim postea divide, ac conifice in Retortam vitream probe luto munitam, hanc collo tenus adimplendo: Collocetur medio in Furno reverberij, proportione illi respondentे: Imponatur tegmen idoneum, clauso spiraculo; commissuræ accurate luto obducatur, Dein ignem admove gradu initio levissimum, per bihorium illo in productum; adeo ut Retorta paulatim incalescat, phlegma autem stillare incipiat in subditum Recipientis: Augeatur demum ignis ad secundum usque gradum: Tegminis spiraculum foramine facto aliquantis per respiret, ac perge in hoc ignis gradu per duas horas: dehinc auge ampliori concesso tegmini spiraculo, per bihorium adhuc continuando ignem, quo spatio temporis elapsō ultimus gradus concilietur, tegminis spiraculo omnino referato, ignem urgendo donec ex Retorta nihil amplius prodeat, ac Recipientis obscuritatem contrahat tantummodo à sale volatili contento, lateribus illius adhærente, versus fundum ac parti superiori.

Tunc vasa sponte refrigerant, quin & Fornax, postmodum luto spoliandum Recipientis, in quo obvia erunt Phlegma, pars Spiritus nomine donata, Sal volatile & Oleum commixta, præter partem salis volatilis, summae parti forte adhærescentis vel Recipientis lateribus, seorsum, sed dextera manu, secernendam, eo in statu, si lubet, adservandam; Sal istud volatile, iste Spiritus & Oleum tam insigni vi pollut ut nullæ nares valeant vehementiam illius tolerare.

Quicquid in Recipiente occurret effundatur in Cucurbitam vitream, amplam, excelsam, inferiore parte latam, sensim versus orificium in angustum vergentem; illi capitellum vitreum adaptandum erit, cuius corpus in altitudinem aliquam abeat, latitudinem, ac formam obtineat capitis mauri, angusto autem donetur orificio, proportione Cucurbitæ respondentе: Juncturæ sedulo occludantur papyro & amylo; imponatur cucurbita Balneo arenæ, ac huic ad materiæ altitudinem immergatur: Rostro capitelli admoveatur exiguum Recipientis, eadem ratione lutandum; Accendatur infra ignis modicus, curando ut & arena & Cucurbita paulatim incalescant, quem tantillum intendere licet, sed solum huc usque ut sufficiat impellendo & sursum evehendo sali volatili, quod extricatum à partibus corporis Viperæ, facile

ascendit; superna id petiturum est, ac interius universum capitellum investiturum, instar nivis crystallinæ: In sublime quoque portio nonnulla spiritus efferetur, qui revera aliud nihil est quam pars salis volatilis, secum nonnihil phlegmatis abstrahentis, in exiguum Recipiens influxuri, cuius portio etiam concretionem ibi adeptura est.

In ignis regimine cura perpetua esse debet: Utut enim modice augeantur, phlegma una cum parte olei ascendit, à quibus sal dissolvitur ac fulvum colorem contrahit; quo fit ut rectificatio iterata sucipienda sit; sed si accuratum adfuerit ignis regimen, ubi animadverteris Capitellum plurimo sale instructum, quod albissimum & crystallinum se offeret: id decrustandum erit & amovendum, aliud illico priori substituendo capitellum; Sal quam citissime fieri poterit & dextere removeatur, in lagena vitrea densa recondendum, cuius orificio ejusmodi sit ut sal id subire queat, ac accurate occludi, alias sal auras protinus petiturum est.

Idem interim ignis gradus fovendus infra cucurbitam, cum vero nihil amplius volatile sursum efferi deprehenderis, ab opere desistendum; sal collectum ex alembico detrahendum, una cum priori custodiendum.

Arena autem frigefacta cucurbita removenda, decantando id quod superstes est in capax infundibulum vitreum, interius papyro filtrationi destinatae investitum, id vasi cuipiam idoneo imponendo: Quicquid phlegmatis inerit chartam transmeabit, innatabit autem oleum quod transmitti non potuit; id per infundibulum in lagenam infundendum erit inferiori parte extremitate fusi chartam pertundendo, vel alio quopiam instrumento.

Quibus postrema & accuratior salis hujus volatilis rectificatio arri-det, fine potituri sunt hac ratione procedendo.

Accipientur Eboris ad albedinem calcinari libræ duæ, in pulverem subtilem deducantur, commisceantur unciis quatuor prædicti salis; cuncta in novam cucurbitam conjiciantur, ejusdem cum priori formæ; demum alembicus cœcus illi aptandus erit, luto incrustandus, vel cuius rostri extremitas accurate occlusa sit ( neque enim illus hic est illius usus, quod nullum sperabile fit phlegma; adde quod etiamsi quidpiam illius esset restibile, ebur calcinatum, cum corpus sit aridum, nec non spongii forme, id proculdubio absorbebit, ac continebit, una cum parte oleaginea, si quæ forte sali volatili commixta fuerit) infra cucurbita ignis moderatus accéndendus, iisdem adhibitis ut ante cautionibus: Sal protinus in sublime feretur alébico adhæsurum, ubi absoluta sublimatione Crystallorum forma obvium fiet, nivis instar candidum, adservandum & recondendum in lagena, sedulo occludenda ad usus: Sal hoc ratione

ratione rectificatum empyreumatis nullius particeps est, solo donatum odore gravi & penetrabili ipsi insito.

Forte quibusdam artificibus improbanda veniet accurata rerum omnium demonstratio, in præparatione & rectificatione istius salis observandarum; Hæc non in illorum gratiam conscripta sunt, at corum solum qui cum illam non calleant addiscere non dediantur: Sincere & candide illis obtulimus vera media nobis familiaria & usitata, quæ & ad usum revocare possunt, præparando & rectificando Salia partium cunctorum animalium.

Ii qui artis Chymicæ omnino rudes non fuerint, hoc loco sat multa adepturi sunt, quo nullo alio magistro manum operi admovere queant, id quod & nos præstitimus & quotidie observare solemus: Neque interim molestum esse debet si nobis hac in re quædam occulta sint, utpote quæ neque verbis exprimi queunt, neque recte concipi, praterquam ab iis qui diu in artis, operibus versati sunt: Ingenio pollentes, qui nostram procedendi rationem ad examen revocaturi sunt, vel etiam ad experientiam provocaturi, animi nostri candorem deprehenderent, ab imperato successu eorum omnium quorum spem facimus ab explicata præterea manum operi admovendi & perficiendi facilitate.

Iis nec non methodus nostra Retortam collo tenus adimplendi commodior videbitur quam tertiam partem illius inanem relinquendi; ex quorundam præcepto, ad distillationem ossium, cornuum, ac aliarum partium animalium siccatorum; quandoquidem artis periti viam illam solum ineunt erga materias quæ colliquescere possunt, à quibus Retortæ rupturæ metus imminet, aut per rostrum effusionis si plus nimio adimpta fuerit: at vero in materiis siccioribus, ejusmodi sunt Viperæ, cornua, ossa animalium, lapides astacorum, calculi & similia, sat is est collum vacuum esse, quo concedatur exitus partibus è materia subiecta elevandis, ac in Recipientis derivandis.

Iudem quoque animadversuri sunt methodum nostram oleū cōmīstum reliquis substantiis finendi, si quando separatio instituenda sit in sublimatione & rectificatione, intempestivam non esse, quandoquidem oleum ut plurimum plurimi Salis volatilis particeps est, quod illud defert, ac postmodum in rectificatione evehitur.

Arbitramur etiam hujusmodi præparationem multis aliis anteponendam esse, tedium & confusionem inducentibus, parum artis regulis consonis; ac præsertim rectificationi, quam nonnulli suscipiunt addendo phlegmati spiritum salis, parti spiritus nomine donatæ, ac sali volatili; qui nedum sal rectificat, illudque purius & melius reddit, quin natu ram corrumpit; cum enim in alembicum illud evahere deberet, & sun

mam Cucurbitæ partem, ( id quod futurum speravere postquam phlegma ad superna delatum est ) spiritus salis ipsemet ascendit insita forma donatus , odore, colore, & sapore, superstite in fundo sale, quod illic quodammodo coagulatum obvium est, præditum sapore & qualitatibus spiritus salis, sed cui duæ partes ponderis deceperunt.

Id genus hominum, cum libros construant ex consarcinatis partibus, hos infarciverunt plurimis præparationibus sibi ignotis , nunquam ad experimentum deductis : nam prætermittendo ( intactis cæteris ) in hujus præparandi ratione , media omnino necessaria , quibus deficienibus irritus evadit labor, pollicentur eventus impossibles , atque, ut fert adagium, aratrum bobus præponentes, sali huic fixitatem , quod sublimare in animo habent , inducunt ; seque ipsos cachinno peritorum exponunt.

Cum enim initium ducendum esset à rectificatione salis volatilis ( monentibus peritioribus ; à quibus præparationem hanc mutuat fuerant ) ad sublimationem & separationem, hac ratione , cæterarum partium processus rationem celantes de industria, id quod potissimum est & maxime necessarium truncavere ; ac statim à limine methodo ad fixationem observandæ institere, sublimationem ex ea sperantes ; minime perpendendo à perverso hac ratione Naturæ motu successum quoque contrarium expectandum.

Mitto præterea iniquam illorum procedendi rationem, addendo tepidæ libram unam , & admiscendo substantiis in Recipiente occurrentibus , peracta prima distillatione ; supplementum quippe est non solum inutile sed onerosum phlegmatis , cuius omnimodo separatio tentanda.

Porro etiamsi portio hujus salis , in Curcubita superstitis , volatilitate postmodum iterum donati possit, id commiscendo cuipiam sali lixiviali , sublimationemque procurando , id iterum citra novam ponderis jacturam accidere non potest , eamque insignem , neque ideo sapor gravior sperandus quam ejus quod ex arte rectificatum fuerit , juxta methodum à nobis modo traditam : Salia quippe lixivialia , cum novam quasi illi animam adflent , odorem non minus gravem & insuavem quam qui priori inerat conciliant.

Liceat & his addere , usum cucurbitarum excelsarum , angusto collo donaturum , huic rectificationis speciei multo aptiore esse quam matratorum quibus prolixum est collum ; id enim nobis usu compertum est phlegma liberius recidere , sal autem volatile facilius sursum eveni & purius , ope nostrarum , quarum figura initio libri exhibenda est ; ubi etiamnum occurrit Alembici figura, sicuti & Retortæ ac Recipientis, pro prima distillatione.

Etiam si

Etiamsi porro iidem, qui ipsos arguendi occasionem præbuere, veritati reclamantes asseruerint sale fixo carere partes animalium, ostensurus sum id revera illis inesse; ac ut in usum cedat id quo Vipera do-  
natum est.

Accipe id quod in Retorta superstes est, vulgo vocant Caput mor-  
tuum, forma & colore carbonis obvium; calcinetur id in fornace, im-  
positum vasi fictili aperto; aut, si sumptibus pariere velis, in furno figu-  
lino, quoad cuncta albescant & calcis formam adepta fuerint, Accu-  
rate contere, ac elixari cura in non mediocri aquæ copia, quæ sali ad-  
mittendo & dissolvendo par sit; hanc filtra, evapora & ad consumptio-  
nem deduito: In fundo occurret sal coagulatum, et si exigua quantita-  
te, prorsus ut ex quinque libris ossium Viperæ rite calcinatorum tres so-  
lum salis fixi unciae mihi superstites fuerint.

Sal hoc sapore acerrimo & penetrabili præditum est, lixiviale &  
quoad plurima simile sali fixo Tartari: In filtro eminebit pars terrena,  
omnibus viribus cassa, quam revera Caput mortuum dixeris: Quo pacto  
obtinere dabitur phlegma, spiritum vulgariter sic dictum, sal volatile,  
Olcum, sal fixum, & Terram, ad quæ cunctæ Viperæ partes, separa-  
tionem instituendo, deductæ fuere.

## DE FIXATIONE SALIS VOLATILIS.

*Viperini.*

### CAPUT VII.

**E**Tiamsi Sal volatile Viperinum, sincere dicam, nihil molestum in se  
contineat præter odorem gravem & penetrabilem, quippe si qui id  
ore exceperint ad pondus aliquot granorum, nulla alia læsione affician-  
tur quam odoris insuavitatem, nequaquam tamen pertinaci, sed fugaci,  
superstite postmodum in ore sapore false gratissimo, cuius comes est  
odor nequaquam displicens, Nihilominus plurimi, quos odor ille pene-  
trabilis percellit, primo in hoc sale se prodens, ac præterea ægre feren-  
tes citam illius dissipationem nisi summa cura custoditum fuerit; ideo  
fixitatem illi inducere adlaborarunt, ac ab odoris gravitate vin-  
dicare.

Sed minime perpendentes odorem istum exulem omnino fieri nequa-  
quam posse quin virium aliqua pars decedat, à fixatione autem alienam  
induci naturam, cum satis esset optime instituta rectificatio, cuius bene-  
ficio, quantum licet, excutiat odor à foris veniens, per vehementiam

primæ distillationis contractus , illius naturam plane destruxerunt, atque in eo id effecerunt quod in moscho ac ambra grisea contigeret si grato odore, quo prædita sunt exuerentur , vel colocynthide, si amaror illi excuteretur, non secus ac in quamplurimis mixtis , quæ natura propria privantur si vel minima illa componentium pars dempta fuerit.

Statuimus ergo ( præmissa rectificatione salis illius volatilis , qualem ultimo loco indigitavimus ) optimam & tutissimam præparationem fore omnem omnino prætermissee, satisque esse ea conditione præditum adsumere ; etiamsi tamen commisceri queat rebus ægrorum palato arridentibus, aliisve remediis , à quibus illius naturæ nulla alteratio inducatur , neque de viribus neque de qualitatibus quidquam detrahant.

Si in sale fixo Viperino facultas esset coërcendi & fixandi volatile , omnino adprobanda esset hujusmodi fixatio , cum enim uno eodemque tempore generationem obtinuerint, ac in uno & eodem subiecto hæreant , nulla discordia inter utrumq; intervenire potest, quin potius mutuas ad conservationem tradere potius possunt operas : adhæc una eademque generatio, atque inter utrumque necessitudo in uno eodemque subiecto, impedit quominus se invicem destruant , efficitque ut nequaquam volatili fixum vim inferre vel intendat vel queat ; Revera , etiamsi simul illa commiscueris , ac fixi quantitas quintuplo aut sextuplo volatile superet ; quinimo simul moras nectere queant, ambo tamen æque pertinaciter indolem propriam & facultates tuetur , ignis beneficio ab invicem separabilia, quovis tempore quantum viribus & qualitatibus discrepant ostendere apta nata.

Nihil tamen obstiterit quin salia dicta commixta adsumere liceat , fixum autem tunc à volatili subtilitatem mutuetur , quamobrem viscera facilis pervadat ac vasa , obstrukiones potentius solvat ac referet, Impuritates in corpore obvias per alvum aut vias orinarias expellat ; Ac vice versa sal volatile , auxilium præbente fixo , auferat & per poros cutaneos extrudat , aliasve vias , humorum partes crassissimas ac maxime viscidas , quæ forte actionis illius celeritatem & subtilitatem subterfugissent : Quos in fines , si casus occurrat , ambo salia confundi queunt, dimissa fixatione impossibili.

Sed præsertim fixatio salis illius volatilis, per calcem instituta, ex artificum sententia operatio plane salis destructiva habenda est ; ideoque maxime omnium declinanda , quippe quæ non solum odorem, saporem & salis qualitates aufert, sed & in alienam plane transfert naturam, propriam illi inducens lapidificatione inducta.

Fixatio salis istius volatilis , beneficio spiritus salis , etiamsi destruc-

ctionem illius moliri videatur, ac naturam alienam inducere, quippe quæ odorem & saporē salis volatilis excutiat, minus tamen quā quævis alia improbanda est; eo quod spiritus salis, servata virtute innata sibi aperienti quasvis viscerum obstrunctiones, dum actionem in sal volatile exserit, partem hujus virium induere potest, sibique adsumere, illam præsertim qua cum in actione consentit, una expellendo per lotij vias, aliasve, humores contumaces & viscidiſſimos: Si cui scopus fuerit illis per dictas vias exitum patefacere, commode modo sequenti adparare poterunt.

Commisceantur quatuor unciae Salis volatilis Viperini optime rectificati, additis quatuor aquæ unciiis; conjiciantur in cucurbitam vitream non humilem, stricti orificij, ad fundum latam & depresso; Orificio illius adponatur infundibulum vitreum, cujus canalis extremitas angustissima sit: ambitus orificij cucurbitæ luto obducatur: adeo ut nulla alia apertio pateat quam extremitatis infundibuli: demum per hanc viam infunde, paulatim & guttatum, spiritum salis optime rectificati sali volatili; Pugna illico inter utrumque suborietur, unde fugax ebullitione subsequitur est: Pergendum in paulatina spiritus salis instillatione, sed vicibus repetitis, desinente videlicet ebullitione; quin per intervalla concutienda erit cucurbita, toties hæc repetendo quoties tandem quævis agitatio desinat; à spiritu autem salis sal volatile quodammodo fixatum fuerit & mortificatum.

Tunc cucurbita imponatur Capsulae arenæ immersæ, Alembicus illi adaptetur luto obducendus ( etiamsi initio nihil ad id impellat ) igne leno abstrahatur tota humiditas spiritui salis inexistentis ac sali volatili, quæ fere saporis expers proditura est: Producatur adhuc ignis, cum vero saporem spiritus salis exhibuerit id quod extillat, aliud substituatur Recipienti, intende paulatim ignis gradum, non tamen violenter, quo usque nihil amplius per distillationem prodeat, sal autem in fundo cucurbitæ superstes aridum omnino factum sit, coloris cineritij.

In Recipiente occurret spiritus salis ejusdem saporis & coloris, iisdem viribus quas ante infusionem in sal volatile præditus: at vero nulla portio salis volatilis neque in alembicum neque in summam Cucurbitæ partem evecti occurret, id quod nonnulli persuadere conati sunt, destituti experientia quam ad stipulantem habemus.

Sal cineritium, in fundo obvium, sat parva occurrit quantitate, duæ enim fere partes è tribus illi deceſſere, sapore est accerrimo, pungente, omnino alio ab eo qui ante fixationem inerat, à spiritu salis quodammodo conscriptum.

Licet deinceps istud sal in aqua diluere, hanc filtrare, ac ad pellicu-

lam usque evaporare ; quæ cum restixerit, in fundo deprehendetur exigua salis quantitas in formam crystallorum concreti : Aqua supernatans decantanda , salis abstrahendi gratia , exsiccandi , aëri aut radiis Solari bus exponendo , vel etiam igni modico : Neque negligendum erit Sal in aqua supernatante remanens ; partem illius in vapores resolvendo , crystallando , ac sicuti prius exsiccando.

Non omnino quidem necessarium est infundibulum , cucurbitæ impositum luto investire , quo tempore spiritus salis sali volatili Viperino affunditur , à me enim observatum quo momento spiritus salis in sal volatile agit , nil præter phlegma sursum evehi , virium imo & saporis , omnino expers , etiamsi iidem , qui erravere in pluribus circa rectificationem salis volatilis , metueint jacturam spiritus volatilis , existentiam solam in illorum imaginatione obtinentis : Luti autem obductio à me proposita , eo tantum fine tradita est ne quis in opinionem veniret partem salis volatilis hac via exitum affectasse.

Etiamsi porro Sal hoc volatile fixatum videatur , ac in fundo Cucurbitæ ejusmodi se offerat peracta distillatione ; illius tamen quædam portio priorem induit indolem , ac volatilitati redditur si sali tartari remixtum fuerit , aut cuipiam alteri sali lixiviali , ac una committantur vasi sublimatorio.

Salia enim hæc lixivialia , cum propria indole adversa sint spiritibus acidis , hæc ab iis mortificantur , & redunduntur , ac conjunguntur , salia volatilia dimittendo , quæ à spiritibus acidis depressa & quasi fixata fuerant ; quicquid vero salis volatilis inerat huic sali , specie tenus fixo , sursum candida forma evehitur , eodem fere sapore donatum , iisdemque qualitatibus ac sal volatile rite rectificatum.

Insignis tamen ponderis in illo deprehenditur imminutio , prorsus ut plus cōmodi accedat adservasse in statu quo prius fruebatur ante postremam hanc sublimationem : maxima vero utilitas ex hoc speranda quod agnoscamus fixationem à spiritu salis peractam , etiamsi aliam quodammodo induxit naturam salis volatili , ac qualitatem diaphoreticam sub diuretica abdiderit , non tamen omnino illam immutatam fuisse , quandoquidem nonnulla ejus portio priori formæ ac viribus restitu potest.

Istud sal , ea ratione fixatum , præditum est viribus spiritus salis concentrati , at vero robur adeptis à commixtione illarum quas mutuatam est à sale volatili .

Si quis humores corporis supervacaneos per lotij vias , aut alvum solum exturbare intendat , id iis adparare licet ac utiliter in usum ducere : qui vero sal volatile rite præparatum adhibere voluerint , cuius natu-

naturæ nulla alteratio acciderit, aut actio perturbata ab accessione fixationis, proculdubio effectus manifestiores, sensibusque magis obvios deprehensuri sunt, minori etiam assumpta dozi.

*DE VIRIBVS SALIS VOLATILIS VIPERINI;*  
*Et utilitate cæterarum partium, ope distillationis*  
*abstractarum.*

C A P U T VIII.

**S**AL Volatile Viperinum perpendendum venit tanquam Sol, tum inter partes quæ ope distillationis sursum evehuntur, tum inter eas quæ in Retorta superstites sunt; nulla quippe earum quæ superiora petierunt ipsis non debet maximam illarum quas obtinet virium: sicuti nulla earum quæ superfuere non illius ope indiget, hac destituta inutilis.

Phlegma, quod prius evehitur, secuta semper illius portionem quan-dam astrahit, qua privatum viribus cassum esset; Id quod Spiritus no-mine donant, accurate loquendo Sal volatile vocandum, cui in distil-latione tantillum phlegmatis à quo dissolutum, se adjunxit, formamque spiritus indidit, sicuti ex rectificatione id manifestum evadit, quo in o-pera pars illa salina volatilis secernitur, ascendit concrescitque, for-mam albam & crystallinam adsumens, relieto in fundo Cucurbitæ hu-more, à quo immutata fuerat illius natura, qui nihil aliud est quam Phlegma.

Occasione data afferimus id quod plurimi authores *āue&gt;ac* spiritum volatilem Cranii humani dicunt, Cervini, cæterarumque partium animalium, aliud nihil esse quam Salia volatilia, phlegmati remixta, à quibus postmodum ope rectificationis sejunguntur.

In Oleo etiam virtus desideraretur nisi sal volatile id sibi adsumeret, maximamque hujus partem comprehendenderet, id quod in rectificatione manifestum est; si enim mensura aut pondere expenderetur oleum priusquam remiseretur iis qui in cucurbita reliqua sunt, rectificationi destinata; trutinæ iterum imponeretur postquam universum sal eveh-ctum est, proculdubio insignis quantitatis imminentio observaretur, quinimo & vitium, quippe cum pars maxima salis volatilis, quod in distillatione illi comitem se dederat, inter rectificandum sursum abstra-ctum est.

Eadem ratione qui Oleum, rectificationis gratia ab aliis partibus se-gregant, coque solum ad usus externos utuntur, vulnera, aut ulcera,

vel hyperfarcoses absumendas, ii vires illius probe non perspectas habent, dotibus enim multo insignioribus præditum est, de quibus hoc ipso capite verba facturi sumus.

Sal fixum in Retorta superstes, parti terrestri commixtum, etiam si salibus lixivialibus accensendum sit, vixque aliis qualitatibus insignitum sit quam quæ in Sale Tartari deprehenduntur, aliquid tamen naturæ salis volatilis participat.

Qui vero isti sali vim causticam adscripsere, eam consequuti sunt, etiam non perspecta illius natura, cum illam adsignarent partibus malignis quas Viperæ adfingebant; at vero id omnino ex salium lixivialium natura deducendum.

Porro sal hoc fixum, ore adsumptum, potioribus multo viribus donatum erit si sal volatile illi remixtum fuerit: Neque prohibet caustica facultas quin tuto, ex liquoribus convenientibus dilutum, ac cum fructu usurpari queat; non secus ac plurima alia salia volatilia.

Parti terrestri nihil consideratione dignum insitum est, nec immerito capit is mortui nomine designatur, postquam sal fixum illi ademptum est, Adeo ut cunctæ partes quæ per distillationem sursum promoven-  
tur, non secus ac illæ quæ ad ascensum ineptæ sunt, effectæ, nulli usui, absente sale volatili, aptæ censerî debeant: Huic ergo jure merito præci-  
puas vires quæ in Vipera delitescunt tribuimus.

Substantiæ similitudo quæ sali Viperino cum partibus spirituosis corporis nostri intercedit, comite tenuitate & penetrabili vi qualitatum, id præstant ut tenore virium concurrente, agendi autem omnimodo con-  
cessa libertate, cunctos depromat effectus sibi insitos, ac pervadat, nul-  
lo obvio obstaculo, abditissimas & maxime dissitas corporis partes.

Id illi innatum est, ut quanquam tanquam supremus & dom. agat, nihil obvium habens quod imperio suo obstatre valeat, non tamen qua-  
si victor operationem non exerceat, aut vastator, quin potius loca quæ pertransit instaurat: Etsi porro celerrimæ, & præcipitis propemodum fit energiæ, illæ tamen functiones tam rite constitutæ sunt, tam probe directæ, ut nulla non pars corporis illius efficaciam experiatur; nun-  
quam non effectum id depromat, ac perpetuo in commodum partium, commeatum illi concedentium.

Cum porro caro, cor, jecur, aliæque Viperæ partes; tanquam alimentum, aut medicamentum adsumptæ, pluri-  
morum morborum curationi conferre possint, insignesque effectus edere, nemini dubium esse debet hoc sal, (prædictarum partium subtilissimam & efficacissimam) sublimius quiddam & generosius in se continere: Id vero apud me ratum si omnibus probe esset perspectum, futurum

futurum ut medicina universalis haberetur, præparatio illius studio adhibito institueretur, crebroque præscriberetur, nec sine eventu in curatione sexcentorum contumacium morborum, qui illam ut plurimum respuunt.

Ut rectum judicium feratur de effectibus quos edere valet sal hoc Viperinum adsumptum, ejus agendi ratio cognoscenda est; aperit videlicet, incidit, attenuat, penetrat, ad superficiem corporis impellit, ac per poros cutaneos quasvis superfluitates & corpora extranea, per hanc viam exitum moliri solita; quamvis corruptionem emendat, Naturæ amicum & convenientissimum est, quam juvat & corroborat, aptitudinem illi conciliando expulsioni non modo per habitum corporis, sed etiam per alvum, vias urinarias, ac quævis corporis emunctoria, humorum excrementiorum Naturæ molestorum.

Eo fit ut mirandos effectus producat sexcentis in casibus, infinitos affectus expugnando, aut saltem admodum mitigando, quin etiam pertinacissimos & ad quævis remedia rebelles, cujusmodi sunt Apoplexia, Lethargus, Convulsio, Paralysis, plurimisque alijs morbi, quorum cerebrum fons & origo statuitur.

Mirum etiam auxilium præbet in affectibus Thoracis, exempli gratia Syncope, Palpitatione Cordis, Asthmate, Pleuritide; nominatim autem expedit ac referat obstrunctiones Jecoris, Lienis, mesenterij, aliarumque imi ventris partium; Abscessus internos nascentes absunit, ac discutit; internos Dolores, quorum causa est abdita, sedat, à spirituum tumultu deducendos: concoctionem juvat, massam sanguineam expurgat, illiusque in universum corpus distributionem promovet resolutionem ac concretionem illius præcavet.

Qua ratione, cuvis corruptioni obviam eundo, convenientissimum est in quavis febre illius sobole, ac præsertim per periodos reduce, nominatim autem Quartana; mira etiamnum præstat in uterinis affectibus, cunctas Infectiones Cutaneas emendat, quinimo & ipsam Lepram: Potissimum autem specifica & singulari vi valet adversus cunctos morbus & ictus venenosorum animalium, quævis venena, modo corrodendi vi prædita non fuerint: hoc in casu illico configiendum est ad emetica, aut unctuosa & leniendi tivavi prædita; quibus præmissis præstantissimos edit effectus.

Singulariter autem Pestem impugnat, ac quosvis morbos contagiosos & epidemicos, cujusmodi sunt Rubiolæ, Variolæ & similes: Paucis ex inductionibus, quas infinita pepererunt experimenta, nobis comperta, variis temporibus ocurrentia, nos compellunt ad enuntiandum Vires illius expectationem omnem & spem superare: Qui vero ad dicta

à nobis animum adverterint, illi transitu ad alios affectus factio, in quam plurimis aliis experimenta suscipere possunt, quorum enumeratio prolixior tædio futura esset.

Huc obiter inferendum est experimentum insigne, observatum in Nobili quodam, qui jam à mense dolore vehementi & continuo torquebatur quem crebræ exasperationes excipiebant, in parte dextra media frontis, non procul à tēpore; Locum dolentem (adeo angusto circumscrivebatur spatio) contegere potuisset apex digiti, absente rubore, tumore, duricie; dolor nihilominus, quasi punto determinatus, in vicinas partes diffundebatur, adeo ut Nobilis masticandi potentia privaretur, imo vix illi os pateret juscuso sorbendo; dolor quippe hinc mirè exasperabatur, etiam si fames urgeret.

Medici, quorum cura se commiserat, plurima in solatium illius ex cogitaverant, præsertim autē sanguinem è venis pedis & brachij eduxerunt, crebris purgationibus corpus exhauserunt; frictiones colli institutæ fuerunt & summorum humerorum; adfixæ cucurbitulæ, comite alta scarificatione, vesicatoria & hirudines pone aures admota; Reserata fuerat arteria temporalis, emissæque decem aut duodecim unciae sanguinis arteriosi, foramine postmodum per cauterij admotionem obducto; Generosa etiam hidrotica exhibita per plurimos dies, mane & vesperi, sudoribus ubertim scaturientibus: Imo æger, proprio instigatu, in doloris summa vehementia, unum è dentibus superioribus sibi evelli curavit, omnis labis expertem, spæ freatis futurum ut causa doloris illac exitum moliretur; Cum porro auxilia omnia essent irrita, dozis unica salis volatilis ex vino data, momento temporis dolorem sustulit & extinxit, unde non minor admirationis causa assidentibus exhibita quam gaudij ægro: Casus hic omnino stupendus, quavis ratiocinatione potior, vires & efficaciam salis hujus volatilis cum apertissime indicet, ulterius nequaquam pergendum est in enarratione illius effectuum.

Supereft jam ut Olei vires attingamus, in distillatione una cum sale volatili sursum evedi, cuius etiamnum portionis particeps est: Odoris gravitas frequentiorem illius usum prohibet; quo fit ut illi qui præparationem Olei suscipit sœpe numero satius sit solius salis volatilis, ipsius comitis, extractioni incumbere, addita rectificatione, quam id tale adservare; raro quippe cum occurrant ægri qui id non præ odoris & saporis insuavitate fastidian; odor ille adeo intime impressus est ut nulla rectificatione elui possit.

Id vero compertum volumus, si quis nequaquam ideo abhorreat, inter remedia externa vix artem medicam generosius & efficacius obtrudere posse, dummodo adhibitum in usum fuerit dum proprio sale

Sale volatili adhuc turget; Aperiendi enim vi præditum est , attenuandi, incidendi, resolvendi, detergendi , ac miro modo mundificandi; Experimento frequenti nobis cognitum , à crebra inunctione , comite simul salis volatilis usu interno , admirandos effectus observari in partibus Paralyysi tentatis , motu destitutis , quin etiam arefactis à negato spirituum & alimenti influxu.

Spongiola , hoc oleo imbuta, pyxide foraminibus pertusa, gestata, naribus crebro admota, pestilenti tempore commodissima est , infectum aërem arcendo, cerebrumque corroborando , ac partes principes, Olfactu etiam utile est, internis naribus iuditum , temporibus innunctum, urgente paroxysmo epileptico , aut vertigine, aut si vapores cerebrum oppleant vel pituita; exitum quippe illis procurat potentissimeque discutit ; In affectibus Hystericis præsentissimum est præsidium , vermes quoconque enecat ; quo in casu guttas aliquot ore sumendas exhibere licet, ex vino vel alio liquore, juscule &c. Inungendo regionem orisicij ventriculi.

Hoc Oleum quasvis Contusiones externas sensibiliter discutit , nec non conductit internis , potissimum autem capitis : Tumores & durities resolvit , exitum concedens attenuatis humoribus & transpirationi factis idoneis per poros cutaneos: vel crassioribus concoctis & ad suppurationem deductis laudabilem.

Deterget etiam & mundificat quævis ulcera , ac cunctos effectus cutaneos sanat, imo pertinacissimos , dummodo remota fuerit causa interior, Quibus in affectibus effectus illius- præterea & celerius se produnt & manifestius, si robur accesserit usu interno salis volatilis , à quo præsertim expectanda præcipua olei efficacia.

Illud occasione data dicturi sumus antiquis summo in pretio fuisse Oleum Viperinum, ab ipsis præparatum diversimode; aliij enim infusione utebantur, alijs Viperarum decoctione in Oleo ; Sin justa adfuisset propria Viperarum ad Oleum ; Si humor necessarius accessisset, ac methodo quadam rationali usi illi essent, ab istiusmodi oleo laudabiles exceptandi fuissent effectus, ac calculo nostro id adprobaremus , Lectorem illuc remittentes.

Cum porro ejusmodi in præparationibus , quas exhibent , nihil methodo consonum reperiatur , unicam huc inferre lubet , quam artis legibus conformem esse credimus.

Adsumantur exente Maio, vel inchoante Junio , duodecim grandes Viperæ recens captæ , unaquaque illarum in septem vel octo segmina dividatur, conjiciantur in vas fistile optime vitreatum, capacitatis convenientis ; affundantur illis olei olivarum libræ tres , vini albi libra una

Imponatur ollæ operculum, lento igne cuncta ebulliant ad humoris consumptiōnem, cuncta coalentur, valida manu exprimantur Viperæ, Oleum ad usus custodiendo.

Interea ne metus inanis, sicut antiquos occupet, à vaporibus ex olla exsurgentibus sibi carentes dum elixantur Viperæ, hæ enim, sicut jam præmonuimus, nullo omnino infectæ sunt.

Oleum prædicto modo adparatum revera non obtinet vires easdem & qualitates quæ oleo stillatitio insunt, modo à me memorato; Inunctione tamen plurimum valet in cunctis affectibus cutem fœdantibus, nervorum contractionibus, rheumatismo, plurimisque aliis affectibus.

*DE RATIONE IN VSVM DVCENDI*  
*Sal volatile Viperinum.*

C A P U T I X.

**E**Tiamsi non licet singulatim tradere modos omnes in usum adducendi Sal volatile Viperinum, uti neque cunctos affectus quibus conduceit enumerare; nihilominus utcunque satisfacturi illis qui usurpandi rationem exoptant, in compendium contracturus sum ea quæ à Medicis quibusdam, qualitatum & proprietatum istius Salis apprimagnarorum observata fuere quotidie id magno ægrorum commodo praescriventium.

Id à limine noscendum, saporis admodum penetrabilis causa, id nequaquam solitarium exhibendum, atque ideo commiscendum esse, alias cuidam alimento, exempli gratia juscule, ovi vitello, pomi assi pulpæ, gelatinæ aut alicui condito, alias, & potius medicamentis, atque hæc iterū sexcentis modis porrigi posse, partim quidem deducendis ex conditione humoris ægrique constitutione, sed præfertim peritia, industria & prudentia Medici.

In Salis enim hujus exhibitione requiritur non levis Medici sagacitas & doctrina, qui illius efficaciam & vim dimetiri norit; qui cunctorum affectuum ideas & causas accurate didicerit ac in praxi versatus sit, quo, urgente necessitate, cum fructu illud præbeat, & in morbis quibus conferre potest; cui tempus & occasio idonea ignota non sit, Ex arte id commisceat & opportune iis rebus à quibus illius naturæ nulla alteratio inducatur; actio nequaquam pervertatur, ac tandem indicationi occurrenti satisfaciant.

Ideo

Ideo non minus comperta esse debet Medico legitima & methodica Salis præparatio : Ejusdem efficacitæ notitia & qualitatum, quam idea morbi, conditionis, temperamenti & constitutionis ægri, nec non exhibendi salis rationis, remixti alimentis aut medicamentis adpropriatis, occasionisque & temporis commodi id porrigenandi, quo expectatus eventus adsit, qui defuturus non est si circumstan-  
tia omnes prædictæ observatae fuerint.

Ne porro iis, quibus familiaris non est illius usus, præter spem & votum sinistri quid accidat, ac salis viribus contrarium, id monuisse & novisse volumus, ab Acidorum intensorum commixtione præsertim cavendum esse, ac potissimum spirituum, cuiusmodi sunt Salis, Vitrioli, Sulphuris, aut similium, à quibus fixaretur, abolereturque illius actio.

Ne ergo in illius usurpatione ulla occurrat difficultas, id adsumere licet remixtum aquis distillatis, vel ptisanæ aut decoctis morbi indoli convenientibus, sicuti & Julapiis, Emulsionibus aut Potionibus diversimode compositis, videlicet ex confectionibus, aut pulveribus, aut syrups, extractis, aquis stillatiis, simplicibus aut compositis, & similibus: Remiscetur necnon tabellis & opiatibus, diversimode compositis, pro morbi natura & Medici scopo; commiscetur purgantibus diaphoreticis, diureticis, aperientibus: Commiscetur sali fixo Viperino, vel aliis à quorum natura non abhorreat; usurpatur ex vino aut quibusdam aquis mineralibus.

Cuivis sexui convenit, ætati, quovis tempore, quavis hora, procul ab alimentis, pro morbi indole ac Medici scopo: Pluribus vicibus in die si libet, adsumi potest, imo & noctu, quin & diutius protracti potest illius usus.

Dosis quod attinet, admodum varia illa est, pro vehementia morbi, ætate, temperamento ac ægri indole, & si semel aut pluries usurpandum fuerit; Minor enim debet porrigi illis qui non semel sed iterato una die adsumere necesse habent; quin in illius usu ad intius pergunt, quam iis qui semel tantum assumpturi sunt.

Satis est quandoque illius grana quatuor præbuuisse, sex, octo, decem, aut duodecim, sed quibusdam in casibus dozis ad viginti & vi-  
ginti quinque grana exporrigitur, etiam semidrachmam, quinimo &  
hanc completam; sed hic summa prudentia & sagacitate opus est, qua  
absente sal istud, utut præstantissimum, effectus omnino Medici scopo  
& agri expectationi dissentaneos producturum est.

*VARIA REMEDIA, AVT COMPOSITIONES,  
quibus Sal volatile basin præbet.*

CAPUT X.

**N**Equaquam à me suscepta esset descriptio virium aut usus salis volatilis Viperini , aut Fixi , ut & Olei in sublime per distillationem eveсти , si Opus meum in gratiam solum eruditorum Medicorum conscriptum esset, rerum omnium notitiam callentium , ac præsertim partium è Vipera deducendarum : At vero illis gratificaturus qui illatum rudes , aut omnino , aut ex parte, duce indigent , præsertim in exhibitione salis volatilis, colophonem libro huic imponere volui , propositis Præscriptionum formulis , ac præcipuis compositionibus, quibus sal volatile Viperinum basin subministrare potest , apud authores non obviis, effectus tamen huic sali dignitate respondentes edituris.

Cum porro me non lateat plurimos curiosos , apud quos Vipera in commendatione est , præparationes domesticas confidere ; juxta præscriptiones quibusdam in libris obvias , alias ad artis normam concinnatas , alias ab illa devias , Illis communicaturus sum Elixir Viperinum, insignium virium, saporis grati, facile parabile , corruptioni nequaquam obnoxium.

*¶. Corda & Hepata Viperarum , in umbra exsiccatorum ac pulverisatorum  
N. xlviij.*

*Cinnamomi optimi drach. ij.*

*Caryophyllorum crasse contusorum drach. sem.*

*Conjiciantur omnia in lagenam vitream densam & solidam , hemina-  
rum ( pintarum ) circiter duarum capacem , Illis affunde.*

*Aqua Regiae Hungarie.*

*Melisse ana. libr. j.*

*Florum Arantiorum.*

*Rosarum ana. libr. sem.*

*Lagenae accurate obturetur , soli per dies quadraginta exponatur , Post-  
modum in liquore dissolvatur,*

*Sacchari purissimi libra j.*

*Trajiciantur omnia per manicam mundissimam , recondatur hoc Elix-  
rium in lagena , cui adde.*

*Salis volatile Viperini optime rectificatis unc. sem.*

*Moschi orientalis.*

*Ambre*

*Ambra grisea ana. grana xij.*

- Accurate obturanda lagena, hoc Elixirium ad usus servando: Dosis est  
à semi cochleari ad integrum mane, jejuno ventriculo adsumi potest,  
imo quavis hora urgente necessitate.

Remedium hoc optimum est & convenientissimum, non modo cui-  
vis veneno adversarium, Pestis, omnibusque affectibus epidemicis &  
per contagium se propagantibus, sed etiam omnes partes principales  
corroborat, calorem naturalem justo in tenore tuetur, quo pacto va-  
letudini plurimum confert illius usus, ac vita productioni.

Elixirium sequens publici juris merito fieri debet, utpote remedium  
haec tenus incompertum, utilissimum non modo in morbis virilibus, ce-  
rebrum, ventriculum ac omnes partes nobiles infestantibus, sed singu-  
lares omnino effectus in muliebribus affectibus editurum, En descriptio-  
nem.

*Bz. Croci optimi.*

*Lacrymarum Myrrha selectissimarum.*

*Aloes Socotrine.*

*Carabes albissima ana. unciam unam.*

*Extracti Opii.*

*Castori j ana. drachmam j.*

Extracta dissolvantur in tantillo vini spiritu, reliqua pulverisentur,  
omnia simul immitantur Cucurbitæ vitreæ, affunde.

*Spiritus vini tartarisati libras iij.*

Imponatur Cucurbita Balneo cinerum, Adaptetur illi Alembicus, Reci-  
piente instructus, utrumque luto probe muniendo; accendatur ignis mo-  
deratus; abstrahe spiritus vini medium circiter partem: tunc vasa de-  
crustentur, Tinctura pulveribus supernatans decantetur, imbuta præ-  
dictorum omnium qualitatibus, seorsum reponenda in lagena rite obtu-  
rata; Abstructum vini spiritum affunde materia in Cucurbita restibili;  
admoveatur iterum Alembicus, una cum Recipiente, rursusque ab-  
strahe medium circiter spiritus vini partem; decanta adhuc eminen-  
tem Tincturam, priori commiscendam, etiam adservandam; Tertia vi-  
ce cohobetur spiritus vini sursum evectus, affundaturque materia in cu-  
curbita superstite, eodem processu ut ante observato; decanta super-  
natantem Tincturam, præcedentibus remiscendam; Cunctæ simul fil-  
trentur, lagenæ solidæ infundantur, omnibus vero adde

*Salis volatilis Viperini unciam unam.*

qui nullo negotio dissolvetur; Cunctæ hæc commista recondantur in va-  
se accurate obturato.

*Dosis illius Elixirii est à gutis x. ad xxx.*

Traditurus præterea sum Opiatam eximiarum virium in plurimis Cerebri affectibus, Ecce descriptionem.

*R. Extracti radicis seminum Paeoniae maris.*

*Visci quercini genuini.*

*Florum Betonicæ.*

*Caryophyllorum hort. ana. unc. sem.*

*Confectionis Alkermes descriptionis Mesue.*

*Salis volatilis Viperini ana. drach. tres.*

*Salis volatilis succini drach. unam.*

*Margaritarum preparatarum.*

*Oculorum Cancrorum preparat. ana. drach. ii. sem.*

*Olei Cinnamomi.*

*Maceris ana. guttas ii).*

Cuncta secundum artem commisceantur, fiatque Opiata, in vase Faventino, optime occluso recondenda.

Dosis est à scrupolo uno ad drachmam.

Ratione sequenti concinnari potest Opiata, aperiendi & laxandi simul prædita, utilis curationi plurimorum affectuum chronicorum, illorum potissimum quos pariunt variæ partium obstrukções.

*R. Conservæ florum Tamarisci.*

*Genistæ.*

*Calendulae.*

*Perfchorum ana. drach. vij.*

*Salis volatilis Viperini.*

*Extracti radicis Iridis vulgaris.*

*Rhabarbari ana. unciam semis.*

*Salis fixi Viperini.*

*Bezoartici Mineralis.*

*Salis Absinthii ana. drachmas duas.*

*Resinæ scammoniae.*

*Extracti colocynthidis ana. drachmam j. sem.*

*Cinnamomi pulverisati drachmam j.*

Cuncta hec commisceantur addendo.

Syrupi compositi cum Rheo q. v.

Fiat Opiata, quæ exhiberi poterit à drachma una ad duas, imo & tres, sed robustissimis.

Possunt etiam effigi Pilulæ facultatis non dissimilis , minori dozi assumendæ.

*Ex. Extracti Aloës cum succo florum Violarum mundatarum parati.*

*Rhabarbari.*

*Senne orientalis.*

*Salis volatilis Viperini.*

*Resinæ Scammonii.*

*Lacrymarum Gummi Ammon. ana. drach.ij.*

*Bezoartici Mineralis.*

*Salis fixi Viperini an. drachmam unam.*

Deducantur omnia in massam Pilularem, quarum dozis est à semiscrupulo ad scrupulos duos.

Quorum ventriculus humoribus tenacibus & viscidis obsefus est , ac neque purgationibus neque aliis remediis elui potuit ; fastidium cibi adfuerit , ructus fœtidi molesti ex ventriculo emissi , commode illi Pulverem sequentem in usum advocate poterunt , in fine pastus, imo quavis hora usurpandum.

*Ex Seminis Coriandri (non aceto præparati, quod perperam præcepere antiqui) sed quale prostat in officinis.*

*Anisi.*

*Fæniculi dulcis.*

*Liquiritia rafe & optime exsiccata ana. unciam sem.*

*Salis volatilis Viperini.*

*Oculorum Cancrorum præparatorum ana. drach. iiij.*

*Salis fixi Viperini.*

*Cinnamomi electi ana. drachmas ij.*

Cuncta hæc in pulverem subtilem deducantur , & adde.

*Sacchari purissimi pondus æquale, vel duplum.*

Recondatur hæc Mistura in vase vitro aut Faventino , accurate occludendo ; Assumatur unaquaque vice semicochlearis mensura , vel integri , prout plus aut minus facchari admiscueris . Pulveri admiscere licet guttas aliquot Olei Anisi stillatitii , vel Cinnamomi , imo Moschum vel Ambram giseam.

Sal istud volatile commodissime remiscetur pulveribus Ptarmicis , nam præterquam quod efficaci sua vi insigniter penetrat , cerebrum quoque potentissime expedit & liberat , ac simul roborat , commisceri potest pulveribus Betonicæ , Majoranæ , Lilii convallium ,

Rosmarini, Stoechadis Arabicæ, Saliviæ & similiūm, sextam solummodo partem Salis volatilis prædictis pulveribus addendo.

Si quis Opiatam exoptet, non solum cordi roborando utilem, ventriculo, ac cunctis partibus principibus, sed & cuivis veneno expellendo, depurandæque massæ sanguineæ ac partibus solidis, impuritates illas inquinantes, per poros cutaneos expurgando, aliave emunctatoria, ij Opiatam sequentem utilissimam præparari current.

*Bz. Conservæ Caryophyllorum hortens. uncias iij.*

*Confectionis Kermesinae completae unciam j.*

*Salis volatilis Viperini probe rectificati, drach. vij.*

*Confectionis Hyacinthinae,*

*Electuarii Diaſcordii ana. unc. jem.*

*Bezoartici mineralis.*

*Margaritarum preparatarum.*

*Oculorum Cancrorum preparatorum.*

*Extractorum Angelicæ.*

*Carlinea ana drach. iiij.*

*Salis Cardui benedicti drachmas duas.*

Cuncta commisceantur ac in Opiatæ formam deducantur, addendo,

*Syrupi Kermesini, vel Caryophyllorum hortensium q. s. ad justam Opiatæ consistentiam.*

Quæ recondenda & ad usus adservanda; Præservationis gratia danda ad drachmam semis ex vino aut juscule, sed morbo urgente exhiberi potest drachma integra, imo & duæ.

Si quis Oleum in usum adducere voluerit, per distillationem elicitum, id solitarium usurpent, vel commixtum æquis partibus Unguenti Martiari, adjungendo, si res exigat, oleum stilatitum Rorifmarini, Saliviæ, Lavendulæ, aut similia.

Qui ad examen cunctas has præscriptiones adduxerint, ii non modo deprehensi sunt justam proportionem dozeon, sed & singularem cautionem ne quid illas subeat à quo natura salis volatilis immutari aut destrui queat, id quod potissimum in illius exhibitione observandum.

Nec desunt aliaæ compositiones, dignæ quæ huc inferantur, quarum sal volatile basin constituere potest, has tanquam paradeigma offerre placuit; neque enim me latet non innutiles alibi occurrere;

ex mea sententia, satius est illas pro re nata præparasse, ac ex præcripto eruditorum Medicorum.

Omnia vero satis dilucide proposuisse me existimo; Latius porro evagatus essem nisi limites mihi præscriptos me prætergredi accusatio immineret ac ea aggredi quæ captum superant, oculatis solum Medicis committenda; Ii qui ritam Salis hujus volatilis præparationem callent, ac connubio jungere partibus volatilibus plantarum, & sulphureis quorumdam mineralium, Naturæ nostræ neutiquam infestorum, glorientur se non inutiliter arti insudasse; Nulla die cessamus, in votis vero est ut tandem aliquid à nobis prodeat quod in publicum commodum cedat.

FINIS.



## ECHIOSOPHIUM.

**I**lle ego, qui Veterum mores vitare, parando  
 Theriacam, studui nuper, qui cœpta peregi,  
 Quique modum docui quo non modo Vipera summas  
 Singula sed proprias conferrent Pharmaca vires,  
 Jam majora peto, nova nam mihi nata voluntas  
 Scribendi, toto quid Vipera corpore condat,  
 Quænam sint partes, quibus & sit dira nocendi  
 Vis data, Num varia lateat sub sede venenum,  
 An Fel origo mali, superum num vasa palatum  
 Hoc à fonte petant, flavum portantia Succum  
 Mortifer an succus, Necet an Dens solus aduncus,  
 An Dens Vipereus vivente evulsus ab ore  
 Sive etiam extincto, membris infixus, acuto  
 Vulnere det mortem, vel quadam parte cadaver  
 Lethiferum, damnoſa aliquo vel Viscera viru,

Nec satis hoc nobis, sed causam nosſe veneni  
 Mens fuit, arcanos simul & reperire meatus  
 Per quos Vipereum supremam corporis arcem,  
 Virus adit, sedemque feri signare triumphi;  
 Seire viâ & facili totum superare venenum.  
 Viætaque Vipereum mala concomitantia mortuum  
 Cum fuerint, Ejus sub parte cadaveris omni  
 Observata meis medicamina pondere curis.

Talia sollicite quærenti, multa fuerunt  
 Perscrutata mihi, variis rationibus acto,  
 Non oculis, mentique meæ confidere tutum  
 Credebam, digitis, nodos, sine testibus, istos  
 Solvere nec cupiens, Physicos in rebus acutos  
 Consului, multis dubiis & adesse rogavi,  
 Sapientis, indictis horis, venere periti,  
 Quos ad propositum fateor non pauca tulisse,  
 Et docto arbitrio cœtum fecisse decorum,  
 Plurima tunc, vario tentamine, digna notatu

Cognita , majorum simul & sententia vana  
 In multis temnenda fuit, melioraque visa  
 Cunctorum studioque potentibus ima sagaci  
 Nobis , quæ veteres poterant latuisse , reperta.

Non labor aut sumptus , vel tempus ad ista molestum ,  
 Vipera nam magno numero mihi missa frequenter ,  
 Ex variis electa locis ; nec sexus uterque ,  
 Defuit , ut scirem num sit discriminem in illis ,  
 Quilibet & pariter mordens an mittat ad orcum  
 Sæpius , hoc ad opus variis animalibus usus ,  
 Passere , gallinæ pullo , cane , fele , columba ,  
 Effectus miro , tutasque dedisse medelas ,  
 Sat fuit , hoc libro , Jam Vipera carmine tantum  
 Describenda mihi , quæ pollens viribus , almæ  
 Theriacæ basis est , iterumque canenda recurrit .

Vipera , Serpentis species , cognomine nota ,  
 Viviparæ , Catulos quod mittat corpore vivos ,  
 Corpus testa patet totum , Cuta versicolore ,  
 Pro pedibus Squammæ patulæ , sub ventre notantur ,  
 His repens , quo vult Serpentum fertur ad instar ,  
 Sed motu lento incedit , nescitque salire :  
 Hæ corpus portant squammæ , nitidique colorem  
 Ensis habent , aliaeque aliis incumbere gaudent ;  
 Posterior junctura patet , dum serpit eundo ,  
 Vipera , si gressum revocet ; defistit hiatus ;  
 Hæ latus ad geminum tendunt , Pellique supernæ  
 Consutæ veluti , costarum finibus adsunt ,  
 Squamma duas costas tantum quæcunque tuetur ,  
 Arcte dorsalis , quas propria vertebra vincit ,  
 Quæque suæ squammæ sic vertebra possidet usum .

In totum squamma cutis est obtecta minore ,  
 Cujus mira patet series & textilis ordo ;  
 Perspicuus color est varius , proportio , forma  
 Diversis gaudens ; mox fuscum in pelle subalbo ,  
 Mox fulvum rubro jungit Natura colorem ;  
 Ad libitum passim nigro quoque stemmate signat ,  
 Et Caput & Dorsum ; possit quoque cernere lato  
 Vertice , producas maculas , ut cornua longas ,  
 Hæc semel exuvias , aut bis deponit in anno ;

Inde est ornato Pellis nova tecta colore;

Squammarum radix tegitur, sed finis in orbem;  
 Dimidium, oblique descendit ad Ile sinistrum,  
 Ordine formoso multo; cui dextera origo,  
 A lævo ad dextrum series eademque notatur,  
 Moxque patent Squammæ majores, moxque minores  
 Largior & series ubi moles corporis aucta,  
 Strictior atque eadem, si mole minore feratur,  
 Multaque subtilis directe linea Dorsum,  
 A cervice petit, Squammaque recumbit in omni.

Majores squammas habet & caput inferiores  
 Productas latus ad genuinum, Faucesque tegentes  
 Quæ præbent similem primis majoribus usum;  
 Instar Porcorum rostrum cute Vipera gestat;  
 Sex & aperta locis Cutis est, quorum prior Ore,  
 Consistit patulo; bina quoque Nare sequentes,  
 Et geminis oculis, Auris dum nulla notatur:  
 Ventris custodes squammæ, gressusque ministrae,  
 Servant postremum, fæcum coitusque foramen,  
 Quod tegit ad caudæ summum, squamma ultima in orbem.  
 Ducta, patens, coitu, parte vel fæce paratis;

Hac de Pelle feræ squammosa digna notatu,  
 Altera sed tenuis Cutis est, subiecta priori  
 Accipit & squammas, si sit spoliata senecta,  
 Vipera, tuncque novam format Natura minorem;  
 Suppeditat binum sic Pellis semper amictum,  
 Atque exuta patet pellucida Pellis utrinque.

Pollicis intensi molem vix præterit unquam  
 Vipera ventre suo, Collum digitique puellæ  
 Crassitiem præbet minimi cui Cauda suprema,  
 Hac in parte quidem similis, sed cuspidé dispar,  
 Cauda brevis valde finem quoque præbet acutum.

Corpore constabit bino pede Vipera longa,  
 Illius solito crescendi fine peracto.  
 Suppressum Caput est, ut planum, vertice lato,  
 Angulus ad superum latus est extensus utrumque,  
 Et custos oculi producitur undique binus,  
 Pollice perfecto Capitis mensura notatur,  
 Octava ad latum numeratur linea finem  
 Vertice supremo, sed sensim strictior extat,

Nam visus spatio vix linea quinta patebit;  
Nec plus est parti quam linea bina priori:

Linea Maxillam sequitur bis quinta supernam;  
Inferior toto dum pollice longa reperta:  
Maxillæ geminæ Gula quam sit vasta docebunt;  
Divisæ hæ finem faciunt in parte priore,  
Inferior gemino constat pars Osse, priusque  
Postremum stringit, Dentes gestatque minores,  
Ad latus externum mordendo flexible tantum,  
Ad medium superæ fit & articulatio firma,  
Ossis ab extrema quod Calvæ provenit ora,  
Dentis ubi radix est articulata canini:

Multiplies patulis apparent fauibus unci,  
Dentes, subtile, ad vulnera prompta parati,  
Quorum majores geminos prodire videmus,  
Qui tamen inflexi remanent, dum nulla voluntas  
Mordendi, promptique patent si surgat in iras:  
Hi maxillarum tanquam custodia bina,  
Calvæ producta nectuntur parte priore;  
Quæ custos Oculi, vinclique ligamine forti,  
Ossi junguntur parvo quod fertur ad altam  
Maxillæ partem medium, mortuumque ministrat,  
Maxillæ & Denti communem, tempore morsus;  
Dens ad radicem succo flavente rigatur,  
Capsula quem tenuis servat, fortique priori  
Dentes oblongi plures, sed molliter hærent,  
Mox duo, vel tres, aut quatuor, vel quinque sub uno:

Ordine diverso Dentes numerantur, & octo  
Interni, similes forma, sed mole minores,  
Bina eadem sursum series; ut bina deorsum;  
Densque molaris adest nullus, nam quilibet uncus,  
Ut calvus, & cavitas summum contingit acumen:  
Hæc vorat esuriens, namque integra gutture vasto,  
Quæ mactata ejus fuerint animalia morsu,  
Arctior & si sit Stomachus, congesta tenendo,  
Oesophagus prægrandis adest, hæc condit uterque,  
Ignis at internus dum nulla parte coactus  
Nullus & in stomacho liquor est, fit coctio parva:

Nec sit Vipere, mirum, si ventre hacerta  
Deglutita, dies maneat pene integra plures,

Corpo nam toto calor est æqualis, & inde  
Non solet effundi, vel quadam parte recondi,  
Sed congestorum paulatim Vipera succum.  
Sugit, & ad fæces quod restat inutile pellit,  
Vel majora suo, si quæ sint, rejicit ore:

Quod si scire modum cupias quo Vipera multos  
Per menses, gelidis vivat jejuna latebris;  
Illa caput tollens & sape superno.  
Quam trahit è cœlo fausta nutritur ab aura,  
Hæc licet & molli videatur corpore, duris  
Temporis impetibus viscosa carne resistit,  
Hinc fit ut horrendos hyemis tolerare rigores  
Possit, & adverso quamvis sit frigore turpens  
Flexilis exiguo veniente calore resurgat,  
Præterea illius substantia partibus arctis  
Constat, & lunato stricte sociata calori,  
Sub cute squamosa, manet integra, tempore longo,  
Spiritus atque adeo vivax versatur in ipsa,  
Ut quamvis varias ex ejus corpore partes  
Feceris, & Lumbis avulsa removeris imis  
Viscera, per multas cor nudum palpiter horas.  
Scissus & in partes spoliatus jam cure Truncus,  
Cauda etiam semota, velut pars assea quæque  
Vitali officio multas fungantur ad horas  
Abscissi dudum & Capitis det morsus eundem  
Interitum mordens quem Vipera sana dedisset:  
Hæc satis, Ad partes alias veniamus Echidnæ.

Quæque suos Dentes habet & maxilla minutos,  
Dens & ad extremum submissæ, grandior extat,  
majori oppositus superæ, minor atque, recurvo,  
Ordine, consimilem Dentem spectare videtur,  
Ad malam sociam, quæ cunctis partibus æqua,  
Non interstitio conjunctus finis eatur,  
Os aliquo inferius, partem nam muscularis explet,  
Os Nasi superum malam, ad firmat utramque,  
Finis Claviculæ, quæ Calva pendet ab alta,  
Fortiter infernæ Malæ sunt articulatæ,

Nares principium Capitis, binoque meatu  
Exiguo, ad Cerebrum penetrantes, Osse teguntur,  
Ossis radicem fortis Calvaria firmat,

Et latus illius genuinum producta tuetur,  
Hæc tamen imbellem tenet articulatio motum:

Calva Oculis ad utrumque largitur amictum,  
Et licet exiguis, duplex concessa cuique  
Palpebra, transperans Liquor Vvea, Cornea, Nervus,  
Opticus, hic tenuis, brevis & radice ligatur,  
Trans Calvam penetrans, Cerebri sub corpore summo,

Fortiter annexas, latum longumque petentes.

Suturas monstrat Calvaria, vertice toto,  
Internis Fossisque suis instructa notatur,  
Anterior minor est, Oculum stat & inter utrumque,  
Parvula qua cerebri concludit corpora bina,  
A quibus exigui Nervi mittuntur odoris.

Tres sunt in medio fossæ, queis corpora terna  
Condita sunt Cerebri, primis unita duobus  
Opticus atque imis Oculorum nervus ab illis  
Exit, & auditus lateralis Nervus uterque;  
Corpora sunt aliis nervis partimque comosa,  
Occipitis Fossam restantem Spina medulla  
Occupat, hinc Dorsum penetrat, Nervosque minores  
Multos, ad Costas vicinas mittit eundo:  
Dura dat externam Capiti sic Calva figuram,  
Cum Venis adsunt Arteriæ, & intus & extra,  
Multus & ad variam numeratur Musculus usum,  
Insertus lateri Calvæ, summoque palato,

Et qua parte vides aliis animalibus Aures,  
Ad latus existunt angusta foramina bina,  
Primo dum Nervus tenuis radicibus hæret,  
Inde, Oculo submissus, abit, ramumque bifurcum  
Format, & illorum Narem petit altus apertam,  
Inferior Dentes divisus, pergit ad imos,  
Indiga dum Natura potest hac parte videri,  
Aure carens, ipsam Nervus cum Naribus explet,  
Quod cavitas Calvæ, proprius Cerebrique meatus  
nigra, ut Nervus geminus, qui Naribus aptus  
E cerebro veniens illuc quoque portat odorem,  
Ad Cerebri summum & medium latus articulata  
Clavicula, ad finem capitis producta notatur,  
Ossibus hæc constat geminis, cubitique figura  
Flexis: Maxillam post articulatur ad imam,

Ut libet hic cubitus scit stringi, scitque patere.  
 Nascitur & parvus cubiti sub origine Nervus,  
 Ex hoc postremo, tenuique foramine Calvæ,  
 Auditus Nervo confinis; longior ille,  
 Offa sequens, tandem Maxillam parte supernâ  
 Ingreditur medium, reliquumque penetrat cundo.  
 Infera & in fundum descendit acuta palati  
 Pars Calvæ, nervos præbetque saporis ad usum.

Quos & Lingua juvans fauces præcurrit hiantes,  
 Corporibus constans geminis, teretique figura:  
 Definit atque minax subtile in acumen vtrumque,  
 Pars rubet interior Linguae, sed prima nigrescit:  
 In totum nobis innoxia Lingua, sed ipsâ,  
 Si careat magnis, Animalcula Vipera captat:  
 Vaginâ induitur, velox quoque prodit, & intrat;  
 In cassumque licet vibrans, hac territat hostes:  
 Tendinibus binis hâc à radice movetur,  
 Hique cuti internæ sub collo fortiter hærent.

Inter maxillam Tracheja Arteria vtramque  
 Incipit infernâ, cuius sub tegmine Lingua:  
 Annulus huic multus formam dedit, ordine junctus,  
 Ascendens patulo longum dat & ore foramen,  
 Rostratum inferius, quo presso sibilat Anguis.  
 Illorum series est magno pollice longa,  
 Et fauces penetrans ad pectus tendit; apertum.  
 Pectoris ingressum non præterit annulus, horum  
 Per medium series, partem, concisa, supernam  
 Respicit, & patulo Pulmoni subjacet: Ejus  
 Mollior ad latus est duræ substantia juncta  
 Undique; Pulmoni facit & sociata canalem  
 Perfectum, optatum quo Vipera suscipit auram

Dextrâ parte jacet Pulmo, rubroque colore  
 Noscitur: illius mollis substantia, nullis  
 Est divisa lobis, ter bino pollice longa.  
 Transverso digito non lotior auriculari.  
 Retis & ad formam veluti contexta notatur,  
 Et licet in dextrâ, jaceat, dum plenior aurâ,  
 Spinam præteriens, ad partem fertur vtramque.  
 Submissumque sibi respirans ventilat Hepar.  
 Huic Cava Vena suos, & Aorta Arteria, ramos  
 Miscent, simul & mixtis hinc indè rigarunt.

Ut pisum globulus cordi præmittitur alto,  
Cui liquor est aqueus, carnoso corpore tectus.

Illi substratum Cor, mollo parenchima, pergit.  
Ternâ parte pedis distans à gutture, rubro  
Sub pulmone jacens, dextrâ quoque parte locatum?  
Membranis vinctum propriis: Hoc nobile viscus  
Corpore divisum permultis palpitat horis,  
Hoc & aquâ plenum Pericardion undique cingit.  
Possidet auriculam, Cava cui dat Vena liquorem  
Sanguineum; sanguis penetrans, petit inde meatum  
Ventriculi Cordis, patulam post implet Aortam,  
Quæ ramos format geminos, sursumque supernus  
Progrediens, cunctas rigat illic sanguine partes,  
Alter ad inferius tendit, latus atque sinistrum  
Occupat, Oesophagi partem, stomachumque sub ipso;  
Hinc Testem, & Renem, Penem, Caudamque pererrat.  
Unus ut est aditus Cordis, sic exitus unus,

Majus mole Jecur, Cordi submittitur imo,  
Dimidio longum pede, puniceoque colore,  
Pollicis & ternâ latum bis parte notatur:  
Dividit hoc Cava Vena fluens in corpora bina;  
Longius & dextrum partem descendit ad imam;  
Hæc Cava descendens, quæ dextrâ parte locantur  
Viscera percurrit, dum corpus tendit ad imum.

A vastâque gulâ incipiens, in parte sinistrâ,  
Oesophagus situs est, uno pede longus & Ille,  
Ad Stomachum portatque cibos, ut nomine signat;  
Hujus ubique patet mollis textura, capaxque,  
Possit ut inflari digitorum mole duorum.

Oesophago Stomachus succedit, corpore denso;  
Et minus extenso; quartâ non longior iste  
Parte pedis, tunicas binas habet intus & extrâ,  
Utraque densa patet, sed rugis intima tecta,  
Dum vacuus Stomachus, pleno distenta sed illo,  
Sæpius & parvis est vermis intus opera.

Officio functus Stomachus, deturbat ad ima  
Intestina suas fæces, prius & duodenum  
Occurrit, tenerum Fellis capit atque meatum.  
Ilcon & Cæcum mihi non comperta fuerunt.  
Instructum sinibus, sed subjacet ordine Colon:

Postrum sequitur Rectum , quod pellit aperto ;  
Caudæ sub summâ radice , foramine , fæces .

Intestina tegit pinguedo & mollis & alba ,  
Quam cingit teneris hærens membranula costis .

Ad latus & Stomachi , sub & Hepate pollice distans ;  
Fel liquidum parva contentum cystide turget ;  
Illi cocto similis substantia vino ,  
Aceris , amara , patet viridi signata colore .  
Non via visa mihi , liquor hic qua posset adire  
Dentes supremo succo tuñicamque replere  
Illorum croceo ; qui nil præbebit amari ,  
Sed tibi amygdaleum gustanti finget olivum .  
Parva quidem ad summum Fellis contorsio visa ,  
Ex qua vas tenerum , migrans à fonte recurvum ,  
Finditur in binos ramos , quorum Duodenum  
Rectior ingreditur , minor & deflexus ad Hepar ,  
In varios ramos divisus definit alter .  
Contra submissas Oculo , Dentique propinquas ,  
Multas inveni Glandes , simul ordine junctas ,  
Hasque salivares dicam Cerebrique ministras ,  
Ex hoc sugentes succum , suctumque colore  
Tingentes croceo , qui nil nisi pura saliva ,  
Quæ rigat & lenit vicina ligamina Dentis  
Majoris pluresque sitos sub cystide Dentes .

Est sub Felle Lien , nigrescens atque rotundus ,  
Nec pisi molem superat : Renes ad utrumque  
Inde jacent spinæ latus : Illi glandibus æquo  
Ordine conjunctis , constant , pallente colore :  
Arteris scatet & venis , tunicaque tenella  
Quilibet obtegitur , prior est dexterque sinistro .  
Vase suo in fundo munitur uterque , ferendo  
Ad rectum sero , cum fæcibus ejicendo .

A capite ad caudam , sit Vipera Fœmina , Masue ,  
Vertebra centeno numero conjuncta patebit ,  
Cum novies & quinto ; numero quoque Cauda supertes  
Quinto & bis deno finem facit Ossibus imis .

Partibus æqua mari prædictis Fœminæ semper ;  
Molle quidem , gestans utero , majore notatur ,  
Ut collo magis & gracili distincte ; Nec apte  
Dentibus antiqui numeratis esse minores .

Nos docuere Mares ; numero , formaque , situque ,  
 Nam similes illis Dentes , vt corpore Conjux  
 Est par , collato , Catulis exempta , Marito ;  
 Grandior at Maris est , ob Penes Cauda tumentes .

A primâ ceruice viam petit alba Medulla ,  
 Trans spinam dorsi , Caudam quoque pergit ad imam :  
 Vndique complures ex hâc , vt origine , Nervi  
 Parvi nascuntur , propriis & vsibus apti ,  
 In varios ramos divisi , partibus adiunt .  
 Musculus & multus , Venisque Arteria juncta ,  
 E spina ad Costas pergunt , & Viscera cingunt .  
 Musculi & insignes bis bini , & plurima Vena ,  
 Cum Nervis , dorsi comites , hinc indè notantur .  
 Mulculus interior binus , submissus , ab altâ  
 Progrediens spinâ ; dorso conjunctus vtrinque ,  
 Fertur ad extremam Caudam , fulcitque supernos .

Vipera Testiculos distinctos Fœmina binos  
 Possidet : Illorum substantia mollis & alba :  
 Linea bina docet latum , ter sextaque longum .  
 Sub Stomacho hi Testes , lœvâque , jacentes ,  
 Fundi Matricis vicina sede locantur .

Hic Vterus geminum gaudens admittere Penem ,  
 Prencipio est modici digitî distentus ut unguis :  
 Nec procul hoc pergit spatiū , fit namque bifurcum .  
 Pars Vteri prior , est tunicis munita duabus ,  
 Fortibus & densis , quarum rugosior imâ  
 Parte jacet , penum stimulos tolerare parata :  
 Vaginis geminis illos nam cingit eodem .  
 Tampore , & hæ proprio juncta sunt quæque canali ;  
 Qui rugis vacuiis , tener est , & mollis ad imas .  
 Hepatis ascendit , partes , semenque petitum .  
 Exugit patulus , mox lucida conficit Ova ,  
 Et confecta fovert , fotis tandemque figuram .  
 Vipereum donat ; stricto quamvisque meatu ,  
 Perficit eximios Catulos , quos parturit indè ;  
 Sic Vterus bino distinctus corpore , vtroque  
 Viperulos numero complures ordine gestar ,  
 Circiter ad quatuor menses ; horumque figura ,  
 Ut situs , & flexus , quiddam mirabile præbent .  
 Quique Vterus prius arctus erat , crescentibus illis

Sufficiens præbet spatum ; tandemque peracto  
Tempore gestandi , cunctos parit ordine vivos,  
Qua data porta fuit , nec p artu vipera laxa,

Spermaticis etiam vasis munita tenellis ,  
Que Testis gemini nascuntur parte subimâ,  
Inde uteri optatum mittunt ad corpus utrumque  
In coitu semen , quô fit generatio juncto  
Principio vulvæ duplex & musculus heret.  
Dum lubet hic stringit , distendit & ille faromen

Terna uteri bis parte pedis sunt corpora longa  
Suntque nitartinis toto confinia cursu  
Multiplici & patulo suspensa ligamine dorso.

Testibus instructus geminis est masculus , albi  
Hi sunt & teretes ; Fellis sub cystide dexter  
Incipit at brevior , minor , inferiorque sinister :  
Hos membrana tenax , quæ pendet ab Hepate vineat  
Inferius molli pinguedine tectus uterque ;  
Non à foeminea substantia diffidet horum  
Parvula producunt & vasa , ferentia semen ,  
Candida , & in longum præbentia sigmata juncta ,  
Ad latus illorum Renes rectumque notantur.  
His cava vena comes , velut est arteria , Renum  
Cum vasis , albo sunt & turgentia succo.

Bina sub extremo residet vesicula recto ,  
Penem inter geminum , simili quæ turgido succo :  
Hos alias Testes binos plerique putarunt ,  
Ut Testis geminus Peni remaneret utique ,  
Sed male ; nam veri tantum sub Felle priores.  
His licet emissum semen per vasa , reponi  
Posit , ut in Vülvam , pressis his gladiis actu ,  
Promptius intensis vicinum Penibus intret.

Hic Gemini miranda subit Construc̄io penis ;  
Provida nam voluit binis , stimulisque comatis ,  
Instructos natura Mares , multumque salaces ,  
Ut possent Vteri geminum penetrare canalem ,  
Conjugis & mollem pungendo movere calorem ,  
Principium ex imâ caudæ radice trahentes ,  
Hi penes gemini sensim crescendo tumescunt ,  
Sub spinaque petunt fæcum commune foramen .  
Sub cute sunt Penes testi , si nulla voluntas

Ad coitum fuerit, sed eâ veniente moventur,  
 Erectique simul surgunt, ut cornua bina;  
 Exitus ad Recti latus est his binus utrumque,  
 Cingit & hos Recto submissus Musculus imo:  
 Quisque cavo & longo constans est corpore bino  
 Penis, & in supero membrum junguntur in unum,  
 Præputio instructum, stimulis velut intus acutis,  
 Albis & duris, congressus tempore tantum  
 Productis; magni prostant horumque priores,  
 Ad fundum Penis stimuli pergitque minores.  
 Cùm vero coitum Mas ardens Conjugis optat,  
 Binaque spermatico Vesicula turgida succo,  
 Quisque uteri proprium tunc Penis inire meatum  
 Festinat, Veneri indulget, semenque premendo  
 Vesicula s fundit, multis stimulisque salaceam  
 Congressum repetit, quò Fœmina percita, cingit  
 Flexibus adjunctum socium, semenque recondit  
 Conjunctionem proprio, Matricis corpore bino:  
 In quibus Ova prius, tandemque Animalcula format.  
 Longus & ut coitus, Penis geminusque minister,  
 Seminis & vicibus repetitis missio multa,  
 In loculos geminos stimulatæ Conjugis; inde  
 Tempore Viperuli plures formantur eodem.

Hinc risu apparet Veterum sententia digna,  
 Queis adjuncta Mari fuerit cum Fœmina visa,  
 Sub flexu & vario, gemini Matrice bicorni  
 Occulti Penes, & junctis basia labris;  
 Conjugis in fauces, caput introducere totum  
 In coitu voluere Marem, semenque paratam  
 Hujus inire gulam; simul & prurigine motam  
 Hanc, caput immisum crudeli Dente petitum,  
 Ridiculo truncare modo; loculisque recepto  
 Semine, formari Catulos; illosque patrati  
 Jampridem sceleris, studio cum vindice nasci;  
 Et lacerata feræ Matris per viscera, tristi  
 Nascentes transire viâ, sic & Patis esse  
 Ultores meritos, eadem quos poena maneret.

His si Viperci Penes, Uterusque fuissent  
 Inspecti, capiendo inquam, simul atque ferendo

Semine , vasa , oculis , animoque petita sagaci ,  
 Si fœtus sedes , rectus velut exitus illis  
 Per vulvam visus ; non talia falsa libellos  
 Implerent , & cuique forent spernenda perito.

Carmine Vipereas partes exactius isto  
 Scribere , non opus est , patriâ cùm voce peractum  
 Hoc fuerit nobis : Tantum generalia quædam  
 Exponenda manent , nostrum clausura libellum.

Vipera Dente quidem multum damnosa canino ,  
 Viribus at tantis laudabilis , ut quod in ipso  
 Dente malum latitat , parvi sit jure putandum.  
 Vipereum licet & morsum mors , certa sequatur ,  
 Omissio auxilio , raro tamen accedit ille ;  
 Quod si forte mala , non cautum dentibus uncis  
 Vipera sœva petat ; tutam fert ipsa medelam ,  
 Carnibus assatis ; poterit nam morsus ab illa  
 Has comedens , sanus fieri ; si sanguine missa  
 Vipereo , primùm fuerit pars læsa rigata .  
 Dimidiumquæ feræ satis est , caput esto prioris  
 Jure comes partis , vel ei pars ultima juncta .  
 Et licet à morsu discedat Vipera , multis  
 Hac sine præfidiis , possis reperire salutem :  
 Quæ fusè dedimus Vulgi sermone loquuti .

Namque alios tantis superat virtutibus Angues  
 Vipera , ut has nobis non sit vox apta canendo :  
 Cognita sunt miranda facit quæ corpore sicco ,  
 Dum renovat corpus , superat quodecumque venenum ,  
 Segregat è crasso corruptas sanguine fæces ,  
 Squamosam lepram simul & contagia curat .

Vipera sed quiddam servat sublimius almo  
 Corpore , quod partes volitans penetrabit ad imas ,  
 Quas aliud sumptum nequeat medicamen adire .  
 Roboris hoc tanti , nihil ut præstantius illo  
 Pharmaciæ regnum tæpiat , vel prodere possit :  
 Cujus ut è medio tollatur prava parandi  
 Vipereas carnes methodus , meliora peregi :  
 Nam quâ lege licet puras sejungere partes ,  
 Hojus ab impuris , descripsimus Artis Alumnis :  
 Qui si ducantur studio præclara petendi ,

Pro Sale Vipereo lapidem quemcumque movebunt,  
 Inventumque scient multo pretiosius auro,  
 Optabunt hoc mille malis & habere paratum;  
 Ut possint tutò, citò, jucundèque mederi,  
 Et peragant uno, quod Pharmaca mille negabant.  
 Hoc sale nil etenim Phœbeia potentius in se  
 Ars habet; hoc illi decus est, hæc maxima virtus.

Pangebat M. CHARAS, Parisii, Anno M. DC. LXXXIX.

## BIBLIOPEGO

Circa Figurarum rectam collocationem.

## IN TOMO I.

Titulus Pharmacopææ Regiæ Galenicae.

Effigies Domini Charas,

ante pag. I.

## IN TOMO II.

*Fig. I. II. III. IV. V. Furnorum & Instrumentorum; cum Fig. Explicationis Characterum Chymicorum, ad finem Tomi Secundi Pharmacopææ Chymicæ ponendæ sunt.*

## IN TOMO III.

Titulus Theriace Andromachi.

Titulus Tractatus de Vipera.

Fig. I. ad

Pag. 152

Fig. II.

153

Fig. III.


154


FINIS.





Fig. 1.








Fig. 2





Fig. 3








Fig. 4







Fig. 5









100 rta

